THESAVRVS MIRABILIVM SACRAMENTI EVCHARISTIÆ, AD MENTEM SCOTI & selectissimorum Theologorum.

Per R.P.F. ALEXIVM TROVSSET, *in Sacra Theologia Baccalaureum.*

Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus: escam dedit timentibus se. *Psal.* 110.



PARISIIS,
Apud ANTHONIVM BINART, viâ Iacobæâ, sub signo pueri IESVS.

M. DC. XXIII.

Cum Approbatione, & Priuilegio.

SERENISSIMÆ, ET CHRISTIANISSIMÆ REGINÆ MATRI,

Fr. Alexivs Trovsset, vtramq; ſalutem precabatur.

CVM *Auguſtiſsimum Euchariſtię Sacramentum,* Serenissima Regina! *omnium quæ Deus his in terris conſtitutus, & difficilium (ſi quæ Deo opt. max. eſſe poſſunt) & longè difficillimum, & maximorum ſit ter maximum; Religionis ſolius ſacroſanctę debito ſtudio religiosè (vti debebam) permotus, in huius myſteriorum myſterij perſpicuâ cognitione, iuxta ſanctorum Patrum certiorem mentem*

proximè inuestiganda: nullum laborem prætermisi, nullam industriam non acciui, vt quem hunc Thesaurum Eucharisticorum mysteriorum contraxi, sacrosanctum librum, vestræ, multis nominibus debitum, Maiestati dicatum consecrarem. Iam tertius adest recurrens annus, ex quo epitomaui quæ sum concionatus apud Blesenses ad humanitatem factos ciues, eaque typis mandari, & Eucharistici huius Sacramenti omnium ἐπιθετων, vti in epistolari contextu adnotaui, pretiosissimi pignoris titulo: sub Augustissimi vestri Nominis clypeo inscribi curaui. At quoniam ex Euangelico nostro tunc vmbone Sacramenti tanti recessus pœnitiores, & mysteriorum mysteria aduersariorũ insanas mentes acriùs pungentia, per otium sufficiens non licuit nobis subtiliori mentis acumine pro votis expectorare; operepretium me fa-

ctarum arbitratus sum, si in hoc certissimum omnium compendium referrem, quæ ex Theologorum omnium celeberrimorum pænitiori doctrinâ possent excerpta conferri. At verò ea cumprimus eò selegi, quæ maiori valerent authoritate apud nostrum illum impenetrabilem Scotum, quem præstantissimi quique viri vnami consensu Doctorem subtilem vocitarunt. Proinde nostri laboris hic Consul, idem erit & iustus tanti huiusce operis nostri Dux præclarus. Quod sanè, cùm explicatu perdifficilium, & difficillimorũ anygmatum, & grauissimorum argumentorum hoc in Sacramento latitantium Catholicam interpretationem & explanationem reuera cõplectatur Thesaurum mirabilium sanctissimi Sacramenti iure merito nuucupandum censui. Potuissem equidem illud ipsum vernaculâ Gallorum, eâque omniũ

elegantißimâ phrasi cohonestare: sed Latino donaui idiomati, propterea quod, omnium ænygmatum eiusque arcanorum præcipua enodatio apud Diuos Romanos Catholicosque Professores, suo, vt pluribus videtur, pondere stet, has meas vigilias, & Scoticas lucubrationes multis titulis & nominibus sibi debitas, Maiestas vestra sibi vendicat. At verò hoc primùm nomine ei inscribuntur, Serenissima Regina, Christianissimi Regis Mater; *quod me dum studui litteraturæ diuiniori alumnum summo fauore adoptauit, & vt Theologicos gradus consequerer, omnia necessaria summa charitate subministrans, mirâ munificentiæ suæ sarcinâ onerauit, vt eapropter nihil illi non debeam. Sed, ecquid rependere potest homuncio Maiestati vestræ; cui cuncta mea obsequia perparum sunt? Sed, vt desint vires, tamen*

eſt laudanda voluntas. Hinc fit, vt audentiùs hunc librum Euchariſticum Nomini veſtro dicatum amittam; quo ſaltem grati animi quoddam argumentum ex officinâ noſtrâ Theologicâ tot beneficijs tuis innumeris depromam: quem ſi gratum habueris, pondus, & gloriam conſequetur. Ita enim fiet, vt hic iam non meus, ſed Reginæ theſaurus exiſtat, & Regiæ Maieſtatis ſplendore fulgeat, & totum Orbem impauidus perluſtret. Artaxerxes, Barbarus ille, hauſtam, cauâ manu, aquam accepit à ruſtico gratam: Quidni ergo ſperem futurum, vt & Regina Mater Theſaurum hunc Theologicum acceptum, & pergratum admittat, ab eo ſibi oblatum, quem nouit ita ſuis obſequijs obſtrictum, vt vitâ etiam ipsâ ſciat ſibi ſeruiturum? Id ſanè eò æquiùs ſpero, quò certiùs noui Maieſtatem veſtram

Barbarum illum longè ſuperare, & animi magnitudine, & Fidei, Religioniſque ſacra præſtantia. Vale, & (iuxta omnium vota) fælix viue.

IN LIBRVM
EVCHARISTICVM
Venerandi Patris Alexij Troussét, Baccalaurei Theologi eximI.

EPIGRAMMA.

I Liber, & tetras Erebi prosterne phalangas:
I quò te Genitrix Regis amicè vocat.
Perfida nec sacri testes miracula VERBI
Gens petat, aut stantem cernere posse Deum.
Bina fauent hìc: namque fidei miracula; Mater
Regis, & aurato qui fluit ore liber.

Lætanter accinebat R. P. ac Domnus Raphaël de Beanchamps Benedicti-nus Marchianensis, Theologus, & Concionator. Ex Æde sacra Sancti DionysI de carcere.

IN THESAVRVM MIRABILIVM EVCHARISTIÆ à R. P. Fr. Alexio Trousset recèns editum.

EPIGRAMMA.

I Liber ad gentes, quò te clementior aura
Ducet; & excelsum porrige, prabe cibum.
Nec te fœda palus nouitatis, amica, moretur:
Excipiet quisquis te leget ipse satis:
Ipsa putris rabies volitantis spiritus instar,
Vritur, inque tuo lumine cœca stupet.
Lemnius atque lacus rubet, ac scripta fateri
Cogitur esse sacra, subtilitate tua.
Plus septem quicunque putat miracula, TROVSSET;
Octauum numeret nunc opus esse tuum.

R. P. ac Domnus Mathias le Roy, Benedictinus, Celeberrimi Monasterij Marcianensis Prior meritiss.

Lectori Beneuolo S. P.

SATIS ſuperq; perſuaſum habeo, Amice Lector, pro more ſolito, futurum, vt quis Cēſor Criticus, aut mordax Ariſtarchus, qui Martialis Liuidum agat, hocque compēdioſum noſtrum opuſculum nigro tentet calculo notare. Sed Martialem, is quiſquis futurus ſit, adeat, & audiat poëticum eius Gnomi: *Omnibus inuideas, Liuide, nemo tibi.* Equidem has noſtras lucubratiunculas Euchariſticas bonis & honeſtis mentibus (quidni etiam doctos & ſapientes viros addiderim) gratas fore ſpero. Non enim eas eo titulo in lucem editas curaui, vt ingenioli mei induſtria noua partas, mihi ſoli vendicarem. Certè pridem noui, quod reuera teſtatur Sapiens, Nihil poſſe aut dici, aut ſcribi, quod prius dictum non fuerit: Sanè qui ſunt melioris mentis, antequam prodiret hoc opus in publicum, & viderunt, & lectitarunt, ita vt aſſeruerint ſine aſſentatione, me in legendis vndecunque floſculis, indeque melle conficiendo argumentoſas apes conſequutum

esse. Meo Marte, meâq; Mineruâ hîc partum est nihil (inquiet idem, qui non faciet meliora, Liuidus oblatator:) Esto, respondent superiores illi; immò verò omnem omninò hanc doctrinam ingenuè fateor me ex huius ætatis eximiorum & peritiorum Theologorum fontibus exhausisse eatenus, vt in ea certum & rectum ordinem contraherem bene digesta, vt quæ sunt obscuriora, & intellectu difficiliora enodata, enucleatiùs patescerent; & quæ permultis sparsa voluminibus incommodiùs continebantur, huius angustioris & Augustioris Operis perbreui circulo condita concluderentur. Ne verò nauseam huius perdifficilis thematis lectio pareret obscurior, aut prolixior, clarior omnium Theologorum explicatio aduersus Antisacramentarios, huc (quoad potuit fieri) accita est, & coacta. Denique facilè obseruabis, me eapropter rursus solas potissimarum difficultatum, & præcipuorum ænygmatum sub huius tanti mysterii mirabilibus & arcanis latitantium, solutiones instar necessariarum conclusionum interserendas prudenter voluisse, nilque me temerè egisse: quandoquidem totum hoc opusculum nostrum ab incude certiori eruditorum, & virorum præstantiorum recusum, recoctum, & prius limatum vehementer & optaui, & seriò priùs curaui, quàm prelo committeretur: satis scio neminem in causa sua oportere iudicem esse. Quapropter

alterius iudicium lubens & subij, & volens subibo, præmonens tamen, ne quis mihi iudex sit iniquus, & ob errata aliorum notam huic labori, & opellæ nostræ inurat. Non dubito, quin ob Librariorum, vel certè Typographi inscitiam, & præcipitem incuriam pleraque errata in primam hanc editionem irrepserint: Alienus hic, non est meus error. Succenseat ergo, aut muris instar, alienum panem rodat, quisquis isthuc maliuolè voluerit, causam peroraui. Litterula fortè hæc pro illa, alia pro alia, aut aliquid huic persimile nonnunquam irrepsisse potuerit, quod in erratis annotatum, obseruatumue eò nolui, quod sim facile persuasus futurum, vt Lector prudens, beniuolus, agendi peritus & eruditus, sine vllo negotio istud quicquid est aut culpæ, aut errati, præcipiti Typographo, & Amauuensi nostro haud satis docto cōdonet. Quem enim lateat, nullam ita posse culturam exactā existere, quæ cum tritico sterilem auenam excrescentem non admittat? Porrò verò si hunc laborem cum vigilijs nostris (candide lector, quod expecto) gratum exceperis, est mihi præterea in manibus liber agens de sacrosancto Missæ Sacrificio, deque subtilioribus in quatuor Magistri Sententiarum libros quæstionibus, succi plenus, quem persimili cum hoc stilo, & ordine prorsus eodem summo epitomaui labore. Hunc sanctis mentibus, & gratis oculis typis man-

dandum lubens donabo, ea ſola lege, vt quiſquis eum ſine inuidia perlegerit, viuat mei in ſanctis ſuis & precibus & Sacrificijs memor: Interea temporis bene vale, & mea hac opera, ſi placet, vtere. His rurſus vale.

Approbatio Operis.

NOs infrà ſcripti Doctores Regentes in ſacra facultate Theologiæ Pariſienſi, præſentem librum, qui inſcribitur, *Theſaurus mirabilium Sacramenti Euchariſtiæ*, ad mentem Scoti Doctoris ſubtilis, & aliorum ſelectiſſimorum Theologorum, compoſitum diligẽter perlegimus, nihilq; in eo animaduertimus quod non ſit probatiſſimum, & orthodoxæ fidei puritati congruentiſſimũ. quare illum in lucem edendum iudicauimus. Datum Pariſijs die 18. Sept. 1623.

F. LE PAGE.

F. CHAPONNET.

Permiſsio Superioris.

OPus inſcriptum, *Theſaurus mirabilium Sacramenti Euchariſtiæ*, per R. P. F. Alexium Trouſſet in ſacra Theologia Bachalaureum noſtri Conuentus Pariſienſis elaboratum, examinéq; & cenſura Doctorum almæ facultatis Pariſienſis approbatum, vt imprimatur, ſeruatis ſeruandis licentiam concedimus, & in fidem, &c. Datum Pariſijs anno 1623. die vigeſima tertia menſis Septembris.

F. I. BELIN,
Guardianus.

Extraict du Priuilege du Roy.

PAr grace & priuilege du Roy il eſt permis à Anthoine Binart Marchād Libraire de ceſte ville de Paris, de faire imprimer, vendre, & diſtribuer vn liure intitulé, *Theſaurus mirabilium Sacramenti Euchariſtiæ*, auec deffence à tous Libraires & Imprimeurs de ce Royaume, de l'imprimer, vendre, ny diſtribuer d'autre que celuy qu'aura fait imprimer ledit Binart, pendant le temps & eſpace de ſix ans, ſur peine de confiſcation des exemplaires, & de quatre cens liures d'amende, comme plus amplement eſt declaré aux lettres données à Paris ce 13. Septembre, 1623.

Par le Conſeil,

PIGRAY.

A LA REYNE
MERE DV ROY.

ODE.

LES Nymphes puisent leurs ruisseaux,
D'où Thetis de toutes les eaux
Faict vn Ocean de merueilles:
Puis les raportent viuement,
Au seinqui prealablement
Leur faict ces graces nompareilles.

Iupin se rend tout pluuieux,
Pour feconder en ces bas lieux
Le giron de sa bonne mere:
Les Astres fluent dedans les corps
Vn infiny de grands raports,
Qui leur font des prodiges faire.

Mais iamais le grand Ocean,
Ny l'air, ny l'astre Thymbrean,
N'ont reüssy en ce qu'ils donnent,
Si bien que vostre MAIESTE',
Comme ces faictz de leur costé,
De vostre ALEXIS le tesmoignent.

Par Dom CL. DE LA HAYE *vostre tres-humble subiect, Theologien de Paris, superieur de Sainct Denis de la Chartre.*

A LA REYNE MERE DV ROY.

Stances.

APRES *tant de ſacrez, & de doctes écrits,*
Qu' ALEXIS *a tracé du pinceau de ſa plume,*
Pour vous faire vn preſent de ſes meilleurs eſprits,
Il conſacre à vos pieds cêt auguſte volume.

Madame! receuez ce gage precieux;
Authorizez les vœux de vôtre Creature:
Car ſon liure traitant d'vn miracle des Cieux,
N'appartenoit qu'à vous, Miracle de nature!

Par Voſtre tres-humble ſeruiteur, & ſujet, Dom Raphaël de Beauchamps, Benedictin de Marciennes, Predicateur à ſainct Denys de la Chartre; à Paris.

THESAVRVS MIRABILIVM SACRAMENTI EVCHARISTIÆ, AD MENTEM Scoti, & ſelectiſſimorum Theologorum.

QVID SIT EVCHARISTIA?

Eucharistia eſt Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti, veraciter contenti ſub ſpeciebus panis & vini, poſt conſecrationem factam, a Sacerdote ſub verbis certis, cum intentione debita prolatis, ex inſtitutione diuina, veraciter ſignans corpus, & ſanguinem Chriſti ſub eis realiter contineri.

SECTIO I.

IN hac definitione duæ ſunt partes. 1. Corpus & ſanguis Chriſti continetur, ſub ſpeciebus panis & vini. 2. Illæ ſpecies, facta prolatione verborum cum debita intentione, &c.

sunt signa efficaciter significantia corpus & sanguinem Christi realiter contentum sub ipsis. Eucharistia ergo ex Scoto, est dispositio ex institutione diuina, necessitans Deum, ad causandum presentialitatem realem corporis & sanguinis Christi. Signum autem sensibile, seu Sacramentum, sunt species sensibiles panis, & vini post consecrationem factam a sacerdote sub certis verbis, cum debita intentione prolatis.

Christus autem fuit huius Sacramenti institutor, & non alius: quia nullus potuit habere potestatem supra corpus & sanguinem suum, nisi ab ipso deriuatam: nec alius ab ipso potuit nouum testamentum fundare, & proprio sanguine confirmare, ac consecrare. & licet absoluta Dei potentia, aliud genus institutionis excogitari possit, nullum tamen aliud adeo decens & expediens fuit.

De Vnitate specifica Eucharistiæ.

SECTIO II.

CErtissimum est Sacramentum Eucharistiæ esse vnum in specie atoma, integra, & perfecta: quia, ex determinatione Ecclesiæ, habemus Sacramenta nouæ legis esse septem,

vt patet ex Conc. Trident. de Sacramentis in genere, *Seſſ.* 7. At ſi hoc Sacramentum eſſent duo, Sacramenta nouæ legis eſſent 8. & non 7. Adde quod ennumeratur ibi a Concilio, vt vnum Sacramentum ergo. De modo ipſius vnitatis. Quidam dicunt ſumi ab inſtitutione, quia moraliter loquendo, fuit tantum vna inſtitutio. Alij, a re contenta ſub vtraque ſpecie, cùm ſit vnus & idem Chriſtus. Alij ab effectu cum vtraque ſpecies, vnum & eundem effectum conferant. Scotus verò hoc meliùs omnium declarat in preſenti negotio, & oſtendit corpus Chriſti duobus modis accipi poſſe. Primò, pro illa parte corporis quæ propriè informatur ab anima, cuiuſmodi eſt caro: & tunc ſanguis, humores, & ſpiritus non includuntur in corpore, quia ſanguis non informatur propriè ab anima: nam non eſt caro, licet ſit de proximo tranſmutandus in carnẽ animatã. Secũdo modo corpus poteſt ſumi, vt includit omnia illa, quæ pertinẽt ad totũ corpus organicum, ſiue ſint partes animatæ, ſiue aliæ formaliter non animatæ, vt humores, & ſpiritus. Corpus 1. modo ſumptum eſt aliud eſſentialiter, à ſanguine cum ſit aliud ens Phyſicum diuerſum, & ſic poteſt eſſe aliud ſignatum à ſanguine: ſanguis etiam eſt aliud à cor-

pore hoc modo strictè accepto essentialiter. Corpus tamen, 2. modo acceptum continet sanguinem, & fiunt vnum vnitate integritatis, non vnitate indiuisibilitatis: vnde Vnum vnitate indiuisibilitatis, est omne ens quod vnum est per formam Physicam: Vnum verò vnitate integritatis est quod fit ex pluribus entitatibus Physicis vnitis simul in aliquo toto perfecto & completo, vt est animal in quo sunt plures formæ partiales subordinatæ, ad vnam vltimam formam, qua totum vltimatè, & cōpletè ponitur in esse, quæ dicitur forma totius: corpus ergo Christi est vnum vnitate integritatis, quia est vnum totum completum & perfectum: ita ad propositum. Si loquamur de vnitate indiuisibilitatis, istud Sacramentum non est vnum, sed duo, quia in eo sunt duo signa, & duo signata. Sed si loquamur de vnitate integritatis, est vnum Sacramentum, quia hæc duo signa sunt vnum signum integrum, sicut duo signata sunt vnum integrum signatum, scilicet vnum corpus perfectum.

Vnde vt optime notat Scotus, *d.* 10. *q.* 4. *ad* 1. principale: quando consecratur panis ex vi consecrationis, ibi est corpus informatum ab anima quod non complectitur sanguinē:

vt dictum est; tamen sanguis ibi quoque est, ex concomitantia sicut & diuinitas, quia corpus viuum Christi non reperitur sine sanguine, licet sanguis non informetur ab anima, nec sine diuinitate est, & ita hæc adsunt per concomitantiam: similiter dum consecratur vinum, ibi sanguis est, ex vi consecrationis, & corpus per concomitantiam eadem ratione, vt dicemus infrà suo loco.

Præterea, sicut perfecta nutritio corporis fit alimento, quod integratur cibo & potu, ita Sacramentum nutriens animam perfectè, & completè, debebat constare ex cibo & potu scilicet carne & sanguine Christi quę sunt vnũ nutrimentũ vnitate integritatis & perfectionis: & hæc ratio est congrua, non ostensiua, sicut superior adducta à Scoto.

Adde etiam quod vnum est ratione gratiæ, quæ tanta confertur sub vna spêcie, quanta sub vtraque; & ratione coniunctionis animorum, quam talis refectio efficit inter fideles, iuxta illud: *omnes vnum corpus sumus*, &c. 1. *Corinth. cap.* 10. Nec non ratione significationis gloriæ cuius est pignus, nam vtraque species significat plenam satietatem & sufficientiam quæ est in æterna beatitudine.

Quando ergo Patres vocant Eucharistiam,

Sacramenta in plurali numero, hoc fit, lata, & vulgari locutione, vel propter plura signa particularia, vel propter multa mysteria quæ continet & representat, vel quia frequentiùs erat in vsu, vt patet in illa oratione quæ post communionem dicitur in Missà: *purificent nos Deus Sacramenta quæ sumpsimus.*

Præterea, species panis per se sumpta potest dici Sacramentum, etiamsi cum alia specie componat Sacramentum, cuius est pars: vnde homo dicitur suscipere totum Sacramentum, sub vna specie, quia recipit totum Christum, vel quia recipit eminenter totam virtutem huius Sacramenti, & quicquid ad perfectam refectionem spiritualem necessarium est.

Quantum etiam ad vnitatem numericam Sacramenti, multæ sunt opiniones; resolutè tamen dici potest hoc Sacramentum considerari posse ratione signati, quod est Christus, & sic est vnum numero, sicut vnus est numero Christus: vel ratione specierum, & signorum, quæ dicuntur propriè Sacramentum, & sic possunt dici plura numero, & multiplicari, sicut species ipsæ multiplicantur numero.

Quando obiicitur illud Clementis Pap. Tot holocausta offerenda esse in altari, quot populo possint sufficere, *in cap. Tribus grad. con-*

secrat. d. 2. Dicendum est ipsum loqui de numero hostiarum consecrandarum, quæ, vt sunt consecrandæ, plures sunt, sed consecratæ recipiunt quandam vnitatem Sacramētalem, quia vniuntur eidem corpori Christi, & ipsa vnio Sacramentalis maior est vnione, quæ fit per continuationem alicuius quantitatis.

Vnde Eucharistia instituta est ad conseruandam & perficiendam vnitatem, cum Christo susceptam, per primam gratiam in baptismo, vel pœnitentia. Notandum est insuper, Eucharistiam esse fontem primarium & efficaciam omnium Sacramentorum, non quidem effectiuè, sed eminenter: habet enim quandam eminentiam perficiendi effectus aliorum Sacramentorum: vt patet inductiuè, quia, si Baptismus nos generet, & vniat Christo eique nos reddat similes. Eucharistia perficit illam vnionem & nos affigit Christo speciali quodam modo, vt capiti nostro. Si Pœnitentia deleat peccatum mortale commissum post Baptisma, itidem perficit illum, & amplius purificat animam, tollendo scilicet venialia, minuēdo fomitem, & preseruando à mortalibus. Si Confirmatio præbet robur fidei, hoc Sacramentum prębet auxilium homini, vt hostibus fidei, & omnibus tētationi-

bus resistat.

Si extrema Vnctio tollat reliquias peccatorum, & conferat auxilium in dificili transitu hominis. Hoc Sacramentum, quatenus viaticum est, suum proprium præsidium præstat in eo transitu. Generat virgines & reuerentiam ad Dominum, & amorem ad proximum conciliat. Confert quodammodo ad effectum & finem Sacraměti Ordinis, quòd ministri Dei præparentur, vt digne ei seruiant: & etiam ad Matrimonij perfectionem, quæ consistit in Castitate coniugali & mutua beneuolentia. Ipsa generalis vtilitas efficit, vt Eucharistia dicatur consummatio omnium Sacramentorum, vnde Concilium Lateranense, firmiter (inquit) hoc Sacramentum institutum est ad perficiendum mysterium vnitatis.

Vtrum Eucharistia sit necessaria ad salutem necessitate medij.

SECTIO III.

AD cuius q. solutionem notandum est, quod sicut cibus ex se vitam supponit, & datur ad illam nutriendam & conseruandam: sic Eucharistia spiritualis cibus est or-

dinatus, ad vitam conferendam, ſcilicet primam gratiam.

Vnde quando Chriſtus dicit, *Io. 6. Non habebitis vitam in vobis.* Verba iſta nullam inferunt neceſſitatem, ſed efficacitatem huius cibi, non habebitis vitam in vobis, hoc eſt, non tenebitis, nec conſeruabitis vitam; vt exponitur iſte alius paſſus, 1. *Ioa.* 3. omnis homicida non habet vitam in ſe manentem, ideſt perdet illam. Ideo alia authoritas non importat neceſſitatem huius Sacramenti, ad obtinendam primam gratiam ſed ad retinendam & cõſeruandam eam. Vbi notandum eſt duo eſſe conſideranda in conſeruatione gratiæ, Phiſicum Dei influxum quo gratiam conſeruat, & hic effectus precisè ſumptus non magis confertur rationę alterius ſacramenti, quam ratione illius, quo ipſamet gratia collata eſt: nam debetur ipſi gratiæ non ſolum ex parte Dei, cuius dona ſunt ſine penitentia, ſed etiam ex parte ipſius gratiæ, quæ conſeruari poteſt, quandiu a contrario non expellitur: nam non eſt conſentaneum naturis rerum aliquid deſtrui per ſolam ſuſpentionem diuini influxus.

2. Eſt ſpeciale auxilium gratiæ, quo remouentur peccata, quæ poſſent gratiam cor-

rumpere, & hoc est specialis effectus & magnum gratiæ donum, sicut cibus corporalis non est necessarius ei qui nutriri, augeri, & a contrario pati non potest: sic Eucharistia non est necessaria paruulis qui non possunt nutriri, augeri in gratia, & pati a contrario, id est peccato cuius non sunt capaces.

Donum perseuerentiæ non est simpliciter necessarium ad consequendam gloriam, quia potest sæpius cadere & resurgere ac tandem saluari. Vnde quando dicitur esse effectum Eucharistiæ, duo possunt intelligi.

1. Abundantius auxilium excitans & adiuuans quo præuenitur homo, & a Deo protegitur ne cadat: & tunc efficit verum sensum, quia per Eucharistiam illud auxilium datur & tamen non potest dici ratione illius, medium necessarium ad salutem. Nam etsi dicat Concilium Trident. auxilium dari per istud Sacramentum, quo preseruemur a mortalibus, non tamen dicit id fieri solum per Eucharistiam.

2. Si talis effectus explicetur de speciali auxilio, seu prouidentia gratiæ, per quam datur homini, vt pro aliquo tempore perseueret in gratia, vitando omnia peccata mortalia vsque ad mortem, posset quidem eo sensu ne-

cessitas medij saluari in Eucharistia. Sed est falsus, quia qui digne susciperet istud sacramentum non posset perire, & esset certús de sua salute quod non est, quia ista verba promissiua & similia. *Qui manducat hunc panem viuet in æternum.* Debent accipi cum conditione, scilicet, quantum est ex parte Sacramenti, & si homo impedimentum, non ponat, vel alia via amittat vitam, quam Sacramentum confert, alias qui semel sumeret Eucharistiã infallibiliter saluaretur; quod est Hereticum: effectus autem vltimus tollit omne impedimentum. Quod non facit Eucharistia ergo non est necessarium, necessitate medij, quo ad donum perseuerentiæ conferendum.

Ratio autem cur Eucharistia non sit necessaria, vt medium ad salutem, sicut sunt Baptismus, & Pœnitentia est: quia ipsa sunt regeneratio, & initium vitæ spiritualis. Vnde perse sunt necessaria vt recipiatur. Quod si in voto habeantur hoc tantum fit per accidens.

Eucharistia verò se habet admodum finis, cuius natura est haberi in intentione, & ideo ex voto saluat, non vt necessarium medium ad salutem: hæc habet Cajetanus quæ reijciuntur à Doctissimo Suarez.

Ipse enim probat Eucharistiam esse institutam, non vt in voto suscipiatur: Sed realiter & sacramentaliter. Vnde necessaria est necessitate præcepti.

Quando ergo Patres dicunt Eucharistiam esse necessariam ad salutem, & ab ea esse efficatiam omnis gratiæ. Hoc verùm est ratione rei contentæ, idest Christi. Vnde quia tota salus nostra manat à Christo, & fit transitus faciliter ab ea ad Christum: coniunctio cum eo est simpliciter necessaria ad salutem ideo. Hoc sensu, sacramentum Eucharistię est de necessitate salutis.

Vel dicendum est melius, Eucharistiam non esse medium necessarium ad salutem, propter suam perfectionem & eius excellentiam: quanto enim aliquid est nobilius eo magis accedit ad rationem finis, & defficit à ratione medij. Sicut perfecta charitas melior est charitate incoata & gloria perfectior gratia, & tamen non habet rationem medij sed finis, nec tam necessaria est sicut gratia; quamuis sit necessarium desiderium consequendi gloriam.

Vnde cum Eucharistia sit finis omnium non oportuit esse medium necessarium quamuis eius desiderium possit dici necessarium, tam

ratione rei contentæ, quam ratione præcepti.

Erit ergo necessarium propositum sumendi eam sicut propositum seruandi alia pręcepta, & hoc voluit fortasse Cajetanus.

Adde quod cum istud Sacramentum sit nobilissimum debuit certe præsupponere primam gratiam, vt sanctius tractaretur, & dignius sumeretur.

Donum perseuerentiæ non debuit etiam dari ex opere operato per aliquod Sacramentũ: tum quia pendet ex futuro vsu liberi arbitrij (vt aliqui dicunt.) Tum quia (vt veriùs est) pendet ex diuina electione, quæ non se habet eodem modo in omnibus: neque habet eosdem effectus perducentes ad gloriam: tum quia haberemus occasionem magis timendi occulta Dei iudicia, & magis liberalis gratia ostenderetur, quòd non fieret si hoc donum per se esset infalibiliter annexum huic Sacramento.

Ipsa autem verba: *nisi manducaueritis*, &c. Continent quidem necessitatem præcepti non medij, pro adultis tantùm, quia infantes non sunt capaces præcepti nec præparationis, requisitæ ad susceptionem *eiusdem Sacramenti*; iuxta illud D. Pauli. Probet quis seipsum

homo. Et quia ista verba: *nisi manducaueritis*, &c. Actiua sunt & præsuponunt actionem propriam in edentibus. Et illa: *nisi quis renatus*, &c. passiua, quæ nihil actionis inferunt sed passionis in suscipientibus Baptisma.

Notandum est etiam quod sicut ista verba: *nisi Pœnitentiam egeritis*, &c. Dicta sunt pro adultis, non solùm pro illis quibus loquebatur Christus, sed etiam absentibus ita; Hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem.* Non solùm Apostolicis, sed omnibus adultis Sacerdotibus futuris in Ecclesia.

Et sicut sponsa per Matrimonium ratum accipit ius in corpus sponsi. Sic paruulus per Baptismum accipit quodammodo ius ad communicandum corpori Christi. Ideò Baptismus conferendo hoc ius censetur conferre votum huius Sacramenti. Lege Diuum Augustinum lib. 3. de Peccat. merit. cap. 4.

Vel rectiùs & melius. Quia propositum est necessarium medium ad iustificationem, sicut votum implendi omnia præcepta per actum proprium vt in adultis, vel per habitum: seu per alios vt in paruulis, qui quemadmodum dicuntur credere habitu, vel per Ecclesiam, sic proponunt se obseruare omnia

præcepta habitu, & per alios. Vnde cum sit præceptum Eucharistiæ de sumenda ea, ideo possunt habere votum & propositum huius Sacramenti: Et sic intelligendus est D Augustinus Epist. 107. ad Vitalem: Habet paruulos credere & comedere carnem Christi per corda, & ora gestantium.

Præterea cibus corporeus est necessariùs quia cõuertitur in alitum. Cibus verò animæ, scilicet, Christus, mutat potiùs alitum in seipsum, quòd præstare potest, non solùm receptus in Sacramento, sed etiam spiritualiter conceptus per propositum animæ id est per fidem & amorem ipsius Christi.

De excellentia huius Sacramenti.

Sectió IIII.

PATET ex Concilio Tridentino Seſſ. 13. Eucharistiam esse Sacramentum præ cæteris nobiliùs. Ipsum enim vocat Diuinum ac mirabile Sacro-sanctum atque sanctissimum. Et ex illo Alexandri Papæ Epist. 1. Decret. In Sacramentis seu Sacrificiis (inquit) nihil est maius corpore & sanguine Domini. 1. Ratione suæ sanctitatis, quia formaliter continet

ipsam sanctitatem. Alia verò Sacramenta conferunt, tantùm illam & habent illam in habitudine. 2. Ratione rei maximæ sacræ quam continet. 3. Ratione, finis quia alia reducuntur ad ipsum non quantùm ad vsum, sed vt perfectiùs Christo vniamur, qui continetur in hoc Sacramento, & per illud talis vnio perficitur & consummatur. Vnde dicitur consummatio aliorum. 4 Ratione suæ permanentiæ, qua manet & alia transeunt. 5. Ratione certioris significationis suæ formæ, vt habet Scotus: Quia eius effectus, non dependet ex dispositione recipientis. Sicut forma cæterorum licèt enim omnibus formis aliorum non possit subesse falsùm, & habeant infallibilem ex se significationem, tamen falli possunt ex parte suscipientium qui non sunt semper dispositi. Quod non ita se habet in isto Sacramento cum effectus eiusdem formæ sit materiæ consecratio.

Vnde Scotus ex professo colligit quatuor excellentias huius Sacramenti ab aliis. Prima, Quòd hoc Sacramentum habet significationem verissimam, quia signatum semper illud consequitur: Nam positis illis speciebus cum conditionibus requisitis semper adest signatum, scilicet, Corpus verùm & Sanguis

Christi:

Christi: alia verò Sacramenta sunt quidem veracia ex se, tamen quandoque effectus signatus, scilicet gratia, non consequitur propter indispositionem suscipientis. Secunda, quia hoc Sacramentum continet realiter effectum quem significat, alia verò Sacramenta non continent in se realiter gratiam quam significant & efficiunt, sed solùm causaliter & dispositiuè. Tertia, quia alia Sacramenta significant gratiam accidentalem: hoc verò significat gratiam subsistentem, scilicet, Verùm corpus Christi ibi existens. Quarta, quia omnia alia Sacramenta consistunt in vsu, seu in fieri vt patet de Baptismo: Nā consistit in Ablutione, & vsu Sacramenti, quo transacto, nihil Sacramenti remanet, sed solùm effectus, scilicet caracter, & gratia, quando non ponitur obex: sed in hoc Sacramento peracta actione consecrationis remanet nobiscum totum hoc Sacramentum. Vnde Scotus ex hac quarta excellentia duo colligit.

Primùm. Quòd consecratio, siue vsus verborum Sacramentalium, non est Sacramentum, sed via ad Sacramentum; quia in termino prolationis verborum, incipit esse Sacramentum: similiter vsus & perceptio huius Sacramenti non est Sacramentum, sed

dispositio Sacramentalis, non quidem ad Sacramentum, quia iam illud præsupponit, sed ad gratiam recipiendam per ipsum; vnde licèt Sacerdos possit consequi gratiam in peragenda consecratione, & similiter in perceptione gratiæ possit percipi ab vtente, si dignè suscipiatur, tamen hoc non est formale & primum significatum Eucharistiæ, sed Corpus & Sanguis Christi, vt patet clarè ex Concil. Trident. sess. 13. c. 3.

Secundùm, quòd in hoc Sacramento verba non sunt forma Sacramẽti, quia non permanent sed transeunt, & sic, tunc Sacramentum hoc non esset permanens, vnde verba sunt forma consecrationis Sacramenti, non forma Sacramenti: Et ita alio modo se habent verba in Baptismo, quàm in Eucharistia, quia in Baptismo verba sunt forma Sacramenti Baptismi, cum cõsistat in vsu. Hîc autem verba non sunt forma Eucharistiæ, sed consecrationis, & propter hoc possunt dici Sacramentalia.

Licèt autem verba consecrationis possint dici de essentia Eucharistiæ. Non est quod tamẽ permaneant intrinsecè, sed quia necessariò requiruntur ad dandum esse huic Sacramento extrinsecè, & possunt dici forma

respectu panis & vini, quæ sunt materia remota huius Sacramenti. Vnde Scotus dicit species panis & vini esse materiam proximam, verè & propriè huius Sacramenti: formam verò esse relationem significationis corporis Christi, nam talis significatio Corporis & sanguinis Christi præsentis, fundatur super illas species panis & vini, quia istæ, peracta consecratione, efficaciter & veraciter significant corpus Christi & sanguinem præsentem sub illis.

Tenet etiam Scotus quòd istæ species scilicet panis & vini fundant duas relationes partiales, quæ integrant vnum signum totale & perfectum. Vnde istæ species omnes vnum sunt Sacramentum, Vnitate integritatis, non indiuisibilitatis.

Præterea Corpus Christi dicitur Sacramentum, non quòd sit verè Sacramentum, sed quia species dicuntur Sacramētum, quatenus continent verè & realiter ipsum Corpus.

Vnde quando Patres dicunt, Corpus Christi esse Sacramentum, non accipiunt Sacramentum propriè pro signo sensibili: Quia Corpus & sanguis Christi sunt huiusmodi signum sensibile, quatenus continentur in

Sacramento Eucharistiæ, sed accipiunt pro Sacramento, rem Sacramenti huius principalem siue signatum principale huius Sacramenti; & propter hoc dicunt Sacramentum istud esse adorandum, esse panem celestem &c.

Nam propriè loquendo & in recto non potest dici Sacramentum, sed in obliquo, id est, non potest dici signum sensibile, sed terminus & significatum illius signi sensibilis, & per hoc satisfit omnibus authoritatibus, quas adducit Suarez. 3. parte, dist. 48. sect. 3.

De tempore institutionis.

SECTIO V.

CHristus instituit Eucharistiam inchoato vltimo anno vitæ suæ, qui fuit trigesimus quartus, aut trigesimus tertius, primo mense Lunari. Qui iuxta computationem Iudæorum incipiebatur in prima Luna, post æquinoxiũ vernale, qui est mensis Martius apud nos: quamuis nonnumquam complectatur partes mensis Aprilis sub se; instituta est etiam. 14. Luna illius mensis. Nam in illa iuxta legem Moysi cænandus erat agnus pascalis.

Vnde Christus suam vltimam cænam instituit in posteriori vespera decimæ quartæ Lunæ, quæ erat finis & terminus illius diei decimæ quintæ, eo scilicet tempore, quò præceptum obligabat, & eo etiam tempore Eucharistia instituta est.

Quantùm autem ad horam institutionis, Doctissimus Suarez putat fuisse institutam Eucharistiam in principio noctis, post transactam vnam, vel ad summũ duas horas post solis occasum. Quia dicitur. *Deutero.* 16. *Immolabis Phase vespere ad solis occasum.* Vnde Euangelistæ, dicunt Christum accessisse ad immolandum Pascha cum facta esset hora scilicet, à lege præscripta.

Cæna autem legalis & lotio pedum ad summum per duas horas durare potuerunt, & statim secuta est institutio Eucharistiæ. Et addi potest coniectura ex Euangelio. 1. Quia quando Iudas exiuit, vt notat. D. Ioannes. Iam erat nox. Quod notari solet, in principio noctis non in medio, Prætereà Christus post illius exitum habuit longam concionem, & posteà iuit in hortum & prolixè orauit. Deinde verò comprehensus est, & ab vno ad alium Pontificem ductus & examinatus, & nihilominus posteà superfuit

erat hominibus patefacta: Modus enim existendi naturæ corporalis debuit prius esse, quam modus sacramentalis eiusdem, & quia mysterium incarnationis præsupponit, cum sit eius complementum, vt dicit D. Chrysostomus, tum quia homines non erãt dispositi ad tantum beneficium; tum quia oportuit, hoc mysterium difficilimũ creditu per multæ tempora, priùs prędici & variis figuris adumbrari.

Non debuit institui ante Passionem. Vt ante mortem maximum amoris signum nobis ostenderet Christus, iuxta illud. Cum dilexisset suos, &c. sicut maximum humilitatis exemplum lauando pedes Discipulorum. Non debuit insuper, vt institutio & oblatio sacrificij incruenti esset meritoria & satisfactoria, & prætium nostræ redemptionis: Quod non ita fuisset post resurrectionem, quando Christus non fuit ampliùs in statu merendi & satisfaciendi. Non debuit etiam subsequi passionem licet sit eius memoriale, quia significatio huius Sacramenti relata est ad illud tempus in quo passio futura erat, à principio suæ institutionis. Sicut baptismus passionem repręsentabat, licèt sit institutus, ante passionem.

Adde quod Christus noluit eo vti Sacramento, nisi post suam glorificationem quãuis instituerit, ante passionem propter maiestatem tanti Sacramenti. & est ratio literalis.

De conuenientia institutionis Eucharistiæ.

SECTIO VIII.

Diuus Thomas probat. 1. p. *quæst. 73. art. 5. tribus rationibus conuenienter Christum instituisse Eucharistiæ Sacramentum.* Priorem desumit ex Eusebio Emisseno, sic quia Christus Corpus assumptum ablaturus erat ab oculis Discipulorum, & illaturus syderibus. Necesse erat, vt die cænæ Sacramentum Corporis & Sanguinis sui consecraret nobis, vt coleretur iugiter, quod semel offerebatur in prætium. Vnde Christus in propria specie à suis dicessurus, in Sacramentali specie seipsum eis reliquit, sicut in absentia Imperatoris exhibetur veneranda eius imago.

Prætereà sine passionis fide nemo potest salutem consequi æternam iuxta illud Romanorum. 3. Quem posuit Deus pro-

pitiatorem per fidem in sanguine ipsius: ergo oportuit omni tempore inter homines aliquod Dominicæ Passionis esse repræsentatiuũ, cuius in veteri testamento præcipuum Sacramentum erat Agnus Paschalis.

Vnde Apostolus 1. *Corinth. ca.* 1. *Pascha nostrum immolatus est Christus*, &c. Successit autẽ in nouo Testamẽto agno typico Eucharistiæ Sacramentum: ergo sicut ille fuit præfiguratiuus futuræ Passionis Christi. Ita & conueniens fuit Sacramentum Eucharistiæ esse rememoratiuum eiusdem.

Tertiò, quia ea quæ vltimò dicuntur, maximè ab amicis recedentibus, magis memoriæ commendantur. Nam inflammatur affectus ad amicos, & ideò profundiùs in animo infunduntur. Vnde D. August. lib. responsionis ad Ianuarium dicit, *Saluator quò vehementiùs commendaret, huius mysterii altitudinem, vltimum hoc voluit arctius infigere cordibus & memoriæ Discipulorum à quibus per Passionem digressurus erat.*

Non est etiam improbabile Deum non fuisse prætermissũ, Incarnatione facta, Adamo non peccante, tãtùm Mysterium, in quo relucent omnia eius attributa, & maximè eius omnipotentia, quamuis homines non

indiguiſſent remedio contra peccatum; quia non eſt inſtitutum ex ſe primò, vt tollat peccatum, ſed vt contrahat maius vinculum charitatis, & cōmunicet cùm aliis hominibus à Chriſto Incarnationis beneficiū, quod eſt bonum perſe, maximè hominibus expetibile: & quod charitatem foueat & excitet: tùm quia ſi Angeli diſcunt à ſenſibili humanitate Verbo vnita: ergo multò magis expediret hominibus perfici & ſanctificari ab ipſo Chriſto ſub ſenſibili Sacramento, inter eos manente & vt etiam homines obtuliſſent, perfectiſſimum ſacrificium laudis & gratiarum actiones Deo Chriſtum offerendo realiter preſentem, & quia eſt Sacramentum maximum, demonſtratiuum attributorum Dei: propter quæ operatur ad extra.

De nominibus Euchariſtiæ.

SECTIO. IX.

SAcramentum Euchariſtiæ ob ſui nobilitatem & pręſtantiam multa & varia ſortitur nomina, vt habet D. Tho. 3. p. q. 73. ar. 4. Primò dicitur panis ratione materiæ ex qua

confectum est vel ratione specierũ. Secundò dicitur communio propter vsum: communio autem capitur diuersis modis. Primò pro communicatione & participatione fidelium in spiritualibus bonis iuxta illud ex symbolo. Credo communionẽ Sanctorum. Secundò, pro obiecto seu forma illa qua per excommunicationem priuãtur fideles, quod est priuari nedum vsu huius Sacramenti, sed interna & externa communicatione fidelium. Tertiò, significat antonomasticè vsum huius Sacramenti. Quartò, significat ipsummet Sacramentum, quia est communis vnio seu coniũctio fidelium, qui edendo Corpus Christi efficiunt vnum Corpus mysticum iuxta illud. Primi, *Ad Corinth. cap.* 10. *multi vnum corpus sumus qui de vno pane participamus, &c.*

Vocatur sinaxis, quæ quidem vox significat congregationem fidelium vt patet ex D. Chrysostomo *hom.* 9. ad populum Antiochenum, quia ad hoc Sacramentum, fideles congregantur in vnum, etiam in templo vt recipiant illud, & ad nullum aliud.

Communionem autem laïcam permitti, est communicari more laïcorum, communio etiam clericalis fiebat in speciali loco se-

parato à loco laïcorum cum aliquo ritu proprio, & cum paramentis ſeu veſtibus aliquibus ſacris, & cum propriis inſignibus qui etiam obſeruari poterat in articulo mortis. Fons bonorum omnium, Ab effectu, vt habet. D. Chryſoſtomus. *Hom. 45. in Ioannem. Carbo ignitus purificans ani[?] m*, ex D. Damaſceno. *Pharmacum immortalitatis. Mortis antidotum* ex D. Ignat. epiſt. 14. *Charitas & vita æterna ex eodem.*

Metapſis, id eſt aſſumptio, à D. Thoma, quia hoc Sacramẽto Deitatẽ Filij ſumimus. Dicitur Corpus & Sanguis Domini, Caro Chriſti, ex re contenta: & per antonomaſiam abſolutè. Sacramentum Sacramentorum: vel ſanctiſſimum & auguſtiſſimum, Sacroſanctum myſterium. Conſummatio Sacramentorum. Myſteria, quia penè, infinitè myſteria continet.

Dicitur pignus futuræ gloriæ, ad quam viam parat & ſic eſt, viaticum. Quia præparat vires ad peragendum dificilimum iter.

Item vocatur Euchariſtia, id eſt, bona gratia vel ex ſignificatione gloriæ, quia gratia Dei vita æterna: vel ex re contenta, ſcilicet Chriſto qui eſt ſumma gratia: vel quia in gratiarum actionem conſecratur & offertur.

Eucharistis Græcum, Latinè significat gratias agere, quod confirmari potest ex Luc. 22. & *ad Corinth.* 21. Vbi dicitur Christum confecisse hoc Sacramentum Eucharistizans, idest, gratias agens. D. Matth. & D. Marcus, legit eo loco eulogizans, idest, benedicens, quàm benedictionem fuisse ipsammet consecrationem vt testatur. D. Thomas. *quæst.* 78. *art.* 1.

De Materia remota Eucharistiæ.

SECTIO. X.

PAnis & vinum sunt materia remota Eucharistiæ, quia sunt facilima ad communem vsum fidelium: aptissima, vt cum reuerentia & decentia tractentur, & quia sunt accommodatissima, ad significandum Corpus & Sanguinem Christi, tam verùm quàm mysticum, cum corpus humanum nutriatur pręcipuè pane & vino. Vnde sicut panis ex multis granis conficitur, ita Corpus Christi verùm ex purissimis membris, & mysticum ex multis fidelibus coadunatur, ita de Sanguine, ex multis vuæ granis.

Adde quòd ex illis incruentum Sacrificium conuenienter fieri poteſt & offerri Deo Et quòd panis & vinum ſunt veluti primitiæ creaturarum, ſub quibus ſcriptura ſacra omnia bona comprehendere ſolet. Ex quo damnantur hæreſes adductæ à Diuo Thoma 3. p. *quæſt.* 74. & ab aliis. Nam aliqui conficiebant in pane & caſeo, aliqui in pane ex farina & ſanguine infantis ſubacta. Aliqui in ſemine humano: vel in pane ex ſemine humano aſperſo, vt Gnoſtici & Manichæi ex Epiphanio hæreſi. 26. & D. Auguſt. cap. 45. aliqui in pane & aqua, vel in pane & lacte ſiue melle & huiuſmodi.

Fundamentum autem huius aſſertionis eſt, quia inſtitutio materiæ Sacramentorum pendet ex ſola voluntate Chriſti, at Chriſtus ipſe Matth. *cap.* 26. & ex aliis Euangeliſtis, talem materiam conſecrandam inſtituit, cum in tali materia vſus eſt, in conſecrando & inſtituendo hoc Sacramentum Euchariſtiæ.

Oportuit autem illas ſpecies aſſumi multis de cauſis. Primò, quia Corpus & Sanguinem Chriſti ſub propria ſpecie manducari & bibi non erat decens. Nec

ferè possibile. Secundò, vt expressius mors Christi, & disiunctio animæ à corpore significaretur, per vtramque speciem separatam. Tertiò, vt esset integrum conuiuium ex cibo & potu. 4. vt indicaretur Christum perfectè redemisse Corpus & animam per panem & vinum representata.

Vnde D. Ambros. 1. *ad Corinth. c.* 11. Dicit carnẽ Saluatoris pro salute Corporis, & Sãguinem, pro anima nostra oblatum, hoc Sacramẽto significari. Quintò vt compleretur tota ratio sacrificij per has species, & significaretur Deũ esse supremum Dominum Corporis & animæ, & vtrumque esse referendum in laudem & gloriam ipsius.

Quod si dicatur ex canone 34. & 5. Apostolorum permitti vuas, oleum, & incensum: Respondeo id fieri per modum ceremoniæ cuiusdam Sacramentalis, & hoc non ex institutione Christi, sed Ecclesiæ, & per consequens, hæc non pertinent ad materiam Eucharistiæ.

Vtraque

An vtraque ſpecies, ſit neceſſaria ad integritatem Sacramenti?

SECTIO XI.

RESpondetur negatiuè, quia conſecrato pane, ſtatim ibi eſt Corpus Chriſti, & oſtenditur in Miſſa populo, & adoratur, & tamen Sanguis nondum eſt conſecratus: ergo quò ad neceſſitatem Sacramenti vna pars non pertinet ad aliam: ſimiliter ſi quis conſecraret vinum ante panem, teneret conſecratio, & ibi verè eſſet Sanguis, licet panis non eſſet conſecratus: ratio autem eſt quia iſtæ ſunt duæ formæ diſtinctæ, quæ habent ſuum ſignificatum diuerſum, & poſſunt habere veritatem vna ſine altera, vnde cùm vna conſecratio non pendeat ex alia multò minus pendebit ex ordine.

Non ſic eſt de extrema Vnctione, ad cuius eſſe requiruntur plures formæ & materiæ ſimul, vt ſequatur effectus Sacramenti: quia extrema Vnctio non fuit inſtituta à Chriſto, ſed ab Eccleſia vt conſtat ex traditione Eccleſiæ, vel quia forma extremæ

Vnctionis, est tãtum deprecatiua. Vnde ex vi suæ significationis non postulat vt tam citò operetur.

Forma autem Eucharistiæ, est effectiua, & efficit quòd significat, vnde cum forma panis præcedat illam vini, non est necesse vt forma vini sequatur, ad hoc vt panis sit consecratus, quia panis prius tempore consecratur quàm vinum & seorsim ostenduntur & adorantur à populo.

Sit ne vtraque species de necessitate præcepti?

SECTIO XII.

ALiqui tenent esse de necessitate præcepti Ecclesiastici tantùm: vt Nauarrus in Marci. *cap. 25. numer.* 61. vbi vocat hoc præceptum Ecclesiæ. Quia nullibi reperitur, hoc præceptum fuisse impositum à Christo, neque ex facto Christi videtur colligi.

Quia non solùm Christus confecit hoc Sacramentum in vtraque specie sed ex vtraque specie omnes communicauit, & tamen ex hoc facto non apparet aliquòd

præceptum, vt vtraque specie debeamus omnes communicare.

Verior tamen sententia est eorum qui asserunt hoc præceptum, esse de iurè diuino, vt habet Suarez disputatione 43. quia secundum omnes Theologos, Eucharistia non est solùm Sacramentum, sed & Sacrificium incruentum repræsentans Sacrificium cruentum Christi, exhibitum in Monte Caluario. At in Sacrificio illo cruento Sanguis fuit separatus à corpore, ergo in hoc Sacrificio debet quoque seorsim consecrari Sanguis, ad hoc, vt explicitè repræsentet illud sacrificium.

Vnde sequitur præceptum consecrandi esse de iure diuino. Quod autem hoc Sacramentum sit quoque Sacrificium, est de iure diuinò, iuxta illud. *Hoc facite in meam commemorationem.* Hæc enim verba ostendunt hoc Sacramentum non posse confici nisi offerēdo Sacrificium, siue Sacrificando. Differunt autem effectus sacrificij & Sacramenti. Nam effectus Sacramenti datur cito quòd sumitur qualibet species. Effectus autem sacrificij non applicatur, donec sit

Passio perfecta in esse representatiuo, quod præsupponit vtramque speciem consecratam seorsim, vt representetur separatio animæ à corpore & Sanguis ab eo.

Si dicas Christum consecrasse in Castello Emaus in vna tantùm specie: dico, vel consecrasse etiam vinum quamuis illius nõ fiat mentio: vel vsum fuisse potestate excellentiæ.

Vnde nõn debet Sacerdos etiam metu mortis consecrare speciem panis sine altera vini ad communicandum infirmum. Quia est contra præceptum diuinum, & faciendo illud, intenderet formaliter mutilum sacrificium facere, quòd est intrinsecè malum.

Quod si accedat Sacerdotem amittere loquelam vel iudicium, sensum, aut vitam, alius Sacerdos debet substitui loco illius, vt sacrificium perficiat. Consecratio enim est sacrificatio, & sacrificatio debet fieri ex vtraque specie secundum diuinam institutionem.

Vnde ad fundamentum prioris sententiæ responderi potest, hoc præceptum implicitè includi in institutione huius Sacramenti: postquàm enim vtramque mate-

teriam Christus consecrauit dixit: *hoc facite in meam commemorationem.* Quæquidem verba non debent referri ad omnes circunstantias accidentales, eiusdem cænæ, sed ad substantiam & integritatẽ sacrificij: Quòd conspicitur ex traditione & vsu Ecclesiæ, quæ numquam vnam speciem sine alia consecrauit, non tamen communicauit laïcos sub vtraque specie.

Neque est par ratio de sumptione & cõsecratione. Nam hoc Sacramentum non consistit in vsu, sed in facto esse. Vnde cum sub vna specie totum Sacramentum contineatur, scilicet totus Christus, non est necesse sumere, sub vtraque specie: sed sacrificium consistit in actione, scilicet in consecratione, illa autem non est integra sacrificatio, nisi fiat sub vtraque specie, ideò non est par ratio vtriusque.

An Pontifex posit dispensare vt fiat consecratio tantum sub vna specie?

SECTIO XIII.

REspondetur affirmatiue, secundum eos qui tenent hoc preceptum esse de iure positiuo, negatiue verò secundum eos qui tenent esse preceptum de iure diuino, vt habet Suarez, cuius ratio hæc est: quia Ecclesia non potest dispensare in his quæ sunt de iure diuino: ius autem diuinum, nedum habet vim præcepti affirmatiui, sed etiam negatiui de non consecranda hostia sub alia materia, quam sub pane & vino.

In veteri enim lege non poterat fieri dispẽsatio, vt agni immolatio fieret ex vitulo, vel ex dimidia parte agni.

Si dicas Innocentium 8. permisisse consecrare sine vino. Respondeo, aliud esse dispensare, & aliud permittere: permisit quidem, aut potius dissimulauit aliquos id facere, qui iam inchoauerant: quia id occasio temporis postulabat, & forte ad duritiam

cordis vt euitaretur maius periculum.

Poteſt tamen Pontifex diſpēſare de voto: quia non eſt ius diuinum, vt habeam votum, ſed mea voluntate factum, & ideo poteſt diſpenſare vel illud aufferendo, vel illud mutando: idem dicitur de matrimonio rato inquantum a voluntate humana contrahitur. Diſpenſari vel diſſolui poteſt, quando plures ſacerdotes ordinati cum Epiſcopo conſecrant, componunt cum illo vnum integrum miniſtrum vnius tantum ſacrificij, quod ab omnibus conficitur, ad cuius perfectionem ſatis eſt vt ſumatur a miniſtro in vna tantum perſona.

Si dicas: Eccleſia mutauit formam, & materiam Sacramenti matrimonij. Nam conſenſus illorum, qui ante Conc. Trident. priuatim contrahebant, & nunc contrahunt priuatim in aliquo loco vbi non eſt publicatum decretum Concilij Tridentini, erant ſufficiens forma, & materia illius Sacramenti. Poſt Concilium verò, & in locis vbi publicatum eſt decretum Concilij conſenſus illi non valent: ergo Eccleſia mutare poteſt formam & materiam in Sacramentis.

Respondetur, Ecclesiam hoc non posse, vnde ad exemplum dicitur: quod mutuus consensus, ante & post Concilium semper fuit materia & forma debita matrimonii, neque hæc materia potuit mutari ab Ecclesia nec mutata est; Nec impedire potest quin illis adhibitis, Sacramentum fiat, sed quia Sacramẽtum Matrimonij fundatur super contractu humano, & contractus humanus pendere potest à modo contrahendi quo ad validitatem. Ideò potuit Ecclesia præscribere modum contractus humani requisiti ad Matrimonium.

Vnde non mutauit materiam & formam in Sacramento Matrimonij, sed declarauit, quis esset validus contractus adhoc vt Matrimonium, super illum fundaretur. Patet autem quod ea quæ pertinent ad humanos contractus sunt in potestate Ecclesiæ.

De præsentia materiæ.

SECTIO XIV.

PRæsentia sensibilis materiæ requiritur ad confectionem huius Sacramenti,

iuxta hæc pronomina, *hoc*, vel, *hic*, in forma consecrationis, quæ ex vi suæ significationis designat rem præsentem sensibus Sacerdotis consecrantis.

Quia cùm Sacramenta sint signa sensibilia, non sufficit eorum materias esse præsentes intellectui & imaginationi, vt: baptizote: signo te, excepto Matrimonio, quia non habet determinatam formam verborum, sed per modum cuiusdam contractus perficitur. Et hoc confirmatur ex facto Christi, quia circa panem præsentem protulit verba. Aliàs posset Sacerdos absens panem Romæ consecrare, quòd est absurdissimum: quantuncumque ergo sit materia parua, dummodo sensibilis sit potest consecrari.

Sotus censet distantiam ducentorum passuum nimiam esse, quia res ita distans, de rigore non potest demonstrari per illud pronomen primæ personæ, hic, sed per illud, tertiæ, illud. Debet etiam materia esse aliquomodo coram homine, & non omnino à tergo: quia res quæ nullo modo est corã homine non potest commode designari per istud pronomen hoc, præsertim substantiue & simpliciter prolatum.

Non debet esse minus distans etiam, si oculis videri possit, quia res valdè distans proprius designatur pronomine, illud, quã per hoc, illa enim præsentia magis est speculatiua in ordine ad cognitionem, quam practica in ordine ad operationem, qualis hîc requiritur.

Quanta autem debeat esse hæc propinquitas, non est determinatum cum sit res moralis, quæ ex vsu hominum pẽdet. Quidam dicunt eam esse necessariam vt manibus teneatur. Alij ita propinquam vt tangi possit. Alij vt Viguerius, ita proximam vt verba formæ debeant peruenire vsque ad materiam. Sed hæc friuola sunt quia non est necesse ex vsu Ecclesiæ vt tangatur & manibus teneatur, nec refert quòd Christus acceperit species præ manibus; quia non est circunstantia essentialis. Vnde certa regula præscribi non potest.

Non dubitatur tamen quin panis vel vinum, velo lineo coopertum consecrari possit, quia hoc non tollit humanam præsentiam; non potest tamen consecrare panem, vt existimo, post parietem existentem. Quia reuera est humano modò absens.

Oportet ergo vt tota materia sit aliquo modo præsens practicè,& moraliter secundum omnes partes consecrabiles. Adde quod materia debet esse etiam definita ex intentione consecrantis,quia actiones sunt circa particularia,vnde si sacerdos non habeat intentionem determinatam circa aliquam materiam particularem, & definitam nihil efficeret.

Et ita si quis habeat presentes octo hostias, & intendit consecrare solum sex,nulla est consecrata, quia illa materia non est definita & certa, non enim scitur, quæ sint illæ sex hostiæ. Cum ipse non determinet quasnam ex his determinauerit consecrare, & ex hac regula multi casus deciduntur.

Quantum verò ad magnitudinem, dico quod dummodo possit esse presens consecranti quantacumque sit, non impedit, quin vna consecratione consecretur, non autem totum illud est præsens nobis, quod per partem est præsens, alioquin aer vsque ad cælum esset totus nobis presens.

Notandum est insuper corpus Christi tandiu manere sub speciebus quandiu maneret earum propria substantia.

Vnde quia Concilium Tridentinum. Dicit : si quis dixerit Corpus Christi non remanerem particulis consecratis , quæ post communionem manent , vel supersunt , anathema sit , ideò non licet nobis restringere ad partem maiusculam vel minimam, dummodò in ea verè sint species panis. Vel dicendum est, Eucharistiam posse considerari dupliciter, in fieri, & in facto esse.

Si consideretur in fieri, oportet totam materiam esse sensibiliter præsentē Ministro, & posse sensibus demonstrari per istud pronomē, hoc: si in facto esse, materia consecrata continet Christum sub minutissima parte. Materia ergo quæ per se insensibilis est, & absens sensibus non potest consecrari.

De Materia panis.

SECTIO XV.

PAnis dicitur à Pan Græcè, quòd est totum Latinè, quia omnia animalia panem comedunt, & cùm illo omnis alius cibus comeditur: vel quia habet virtualiter sustentare animal. Id quod habent alia alimenta.

Finxerunt Poëtæ, quod Pan quem Latini

vocant Syluanum, esset Deus terræ seu Pastorum habens cornua in capite, ad repræsentandum radios, Solis & Lunæ, & pellem variatam ad repræsentandum cælum sydereum. Vultum rubeum ad significandum æthera: fistulam septem caluorum in manibus, ad significandam armoniam septem cælorum: & erat pilosus inferius propter vtilitatem fructicum arborum & animalium: & pedes caprinos, propter stabilitatem suam, sicque Pan omnia terrena repræsentat, suprema & infima.

Hoc autem meliùs dicitur de nostro pane, qui descendit de cælo, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi. Sicut panis ex multis granis, sic Corpus Christi, mystycum ex multis suppositis, ex vsu panis tritici non gignitur fastidium, quod alio cibo non conuenit.

Vnde D. Damascenus: *consuetudo est hominibus panem comedere & bibere vinum, ideo coniugauit eis Dominus diuinitatem: & fecit ea Corpus & Sanguinem suum, vt per ea quæ sunt secundum naturam consueta in quibus vita conseruatur ad eaquæ, sunt supra naturam anima transferatur.*

Sicut panis in clibano loquitur sic Chri-

stus in cruce pro nobis decoctus est multis tribulationibus. Panis est mundissimus inter omnia cibaria, nec tangentem coinquinat sicut caro: sic Christus conceptus est mundissimè in mũdissima Virgine. Panis Hebraïce dicitur sogalla, ideſt pręcipuus, & græcè epinsion ideſt, superſubſtantialis: ego ſum, inquit, panis viuus qui de cælo deſcendi, &c.

Dimiſſo autem illo genere panis, quod ex fructibus arborum vt ex caſtaneis, & ſimilibus fit, & dimiſſo etiam eo, quod ex leguminibus efficitur, quæ ſecundùm omnes Theologos certum eſt non eſſe ſufficientem materiam huius Sacramenti: eſt communis opinio doctorum, & vera eſt, ſolum panẽ triticeum, ſiue frumẽtaceum eſſe ſufficientem materiam huius Sacramenti non ſolum ex neceſſitate pręcepti, ſed etiam Sacramenti, aliàs nihil eſſet certum in materia Sacramentorum.

Ratio autem principalis quam aſſignat Scotus & alij, *& habetur de Conſecratione d. 2. in Sacramento*, eſt quia Chriſtus confecit & inſtituit hoc Sacramentum in pane triticeo ſecùndum omnes, neque enim veriſſimile eſt, quod panis azimus quo vte-

bantur Iudęi in festo Paschali, esset ex alia materia, quam ex tritico, & præsertim hoc confirmatur ex traditione, & vsu ipsius Ecclesiæ.

Nam etiam talis materia adumbrata fuit ex versu Psalmistæ. *Cibauit eos ex adipe frumenti Psal.* 80. *& Psal.* 147. *qui posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti, &c.* Vbi nomine frumenti significatur triticũ: Deinde panis triticeus est simpliciter, vsui hominũ accommodatus: nam ex hordeo & similibus non tam humanus panis fit quam belluinus, & illum comedũt homines ex necessitate. Vnde quãdo panis nõ est triticeus semper aliquid scriptura addit, & quãdo de pane simpliciter loquitur, intelligitur de pane triticeo, vt de panè Melchisedecis & panibus Propositionum. Adde quod cum Sacramentũ sit nobilissimũ debuit etiã panis nobilissimus esse materia huius Sacramẽti.

Quod si mixtio fiat ex alijs frumentis, & maior pars sit triticea cũ notabili excessu, censeri potest sufficiens materia: quia in vsu omnium hominum ille panis triticeus iudicatur: aliàs panis confectus ex tritico male purgato non esset sufficiens, quod falsum est: quia maior pars adiuncta con-

fusione seu coctione censetur aliàs trahere ad suam speciem , & ita confici mixtum eiusdem rationis cum pane triticeo. Si vero pars triticea sit minor, vel etiam æqualis : non erit tota illa materia sufficiens vt sentit D. Thomas ad 3. & D. Bonauentura. *dist.* 11. *art.* 4. *ad* 3.

Ratio est quia vel fit perfecta mixtio, & sic maior pars trahit minorem in suam speciem : vel si sit æqualis, vtraque corrumpetur, & fiet vnum tertium distinctum, vel solum fit mixtio imperfecta per iuxtapositionem, & tunc illa pars , quæ fuerit triticea erit materia & non alia. Propter tamen confusionem , tota illa materia non erit consecranda in vsu ; & quamuis in aliqua regione non generetur triticum, facilè tamen est asportari.

De qualitate panis triticei.

SECTIO XVI.

COmmunis est opinio Theologorum, vt panis triticeus fiat ex farina triticea coagulata aqua naturali, vt apposite docet Scotus hîc & ratio communis est : quia panis

nis triticeus vsualis, formatur, ex aqua naturali & farina triticea, Chist⁹ autē consecrauit in pane triticeo communi & vsuali.

Vnde panis confectus ex farina triticea, lacte & oleo, aut simili liquore, non est materia huius sacramenti. Adde quod panis confectus ex his liquoribus non est verè panis, sed aliud genus massæ, seu placentæ.

Panis etiam confectus ex farina, & aqua rosacea non est etiam materia sufficiens. Si tamen misceatur parua aqua alterius aquæ non mutabit substantiam, sed conuertetur cum maiori parte, saltem adiuncta coctione, & licet hoc non sit contra veritatem Sacramenti, est tamen illicitum, cum hoc fit præter Christi institutionem, & huius materiæ puritatem.

Licet etiam admixtio salis in Ecclesia Latina non debeat fieri, non est tamen contra substantiam Sacramenti, quia sic conficitur panis fermentatus vsualis.

Debet etiam esse panis coctus, & non cruda massa, quia massa non est panis nec cibus, aut alimentum hominum: illa tamen pasta non differt specie a pane cocto licet asserat Diuus Thomas: quia per decoctionem pastæ in furno non fit, nisi ex-

halatio humoris aquei commixti cum partibus farinæ: quod pasta non sit sufficiens materia. Probatur hac efficaci ratione.

Quia Christus noluit nos obligare ad hăc subtilem disputationē in Sacramentis, sed voluit, vt materia huius Sacramēti esset panis vsualis communis triticeus, pasta autem non cocta non est panis nec cibus, ideo non potest esse materia huius Sacramenti: quod autem panis & pasta non differant specie, probat Scotus, ab experientia, aliquis panem recentem per compressionem conuertit in pastam, vt patet: ergo signum est quod panis & pasta non differant specie.

Tenet etiam Scotus quod panis recens per compressionem redactus in pastam est consecrabilis si non recedat manifestè à ratione panis vsualis. Consentit huic assertioni Suarez, notat tamen in praxi non esse obseruandum, propter reuerentiam tanti Sacramenti.

Item, panis debet esse coctus igne, & non butyro frixus, aut aqua elixus, alias esset placēta Laganū pultes; cum autem sit difficilè iudicare, an panis sit corruptus substantialiter, diligenter considerandum est mutationem accidentium, coloris saporis &c. illa

enim inferunt mutationem ſubſtantiæ.

Negat etiam Scotus diſt.11.amidum, ſiue Amylon poſſe eſſe materiam huius Sacramenti, quia conficiendo illud corrumpitur triticum, & panis ex eo confectus reducitur potius ad genus placentæ, quam ad panem vſualem. Quod autem corrumpatur in tali confectione, patet, quia diuerſitas ſubſtantiarum cognoſcitur ex diuerſitatibus accidentium, at ſecundum medicos, & expertos: aliæ ſunt proprietates panis tritici, & aliæ amydi, ergo ſequitur materiam eſſe ſubſtantialiter mutatam, ſi quis tamen eo vtatur, ſupponens eſſe materiam idoneam non peccat, neque ipſe, neque populus Idololatriam committit, ſupponit enim eſſe factam conſecrationem & eſſe Sacramentum adorandum a ſe & ab aliis.

An panis azymus vel fermentatus ſit materia huius Sacramenti.

Sectio XVII.

Certiſſimum eſt ſecundum Græcos & Latinos eum panem eſſe materiam veram huius Sacramenti, in quo Chriſtus

consecrauit & instituit hoc Sacramentum. Videndum est ergo quo die Christus comederit agnum Paschalẽ, & fecerit cœnam vltimam cum suis discipulis, in qua instituit hoc Sacramentum, vnde est magna controuersia inter Græcos & Latinos in hoc negotio.

Græci enim dicunt Christum Dominum comedisse agnum Paschalem, & instituisse hoc Sacramentum, luna 13. primi mensis, qui est Martij, & luna 14. crucifixum fuisse.

Latini vero, & rectè dicunt Christum comedisse Agnum Paschalem, & instituisse hoc Sacramentum, luna 14. eiusdem mensis, & luna 15. sequenti fuisse crucifixum, ex quo sequitur Græcos tenere Christum confecisse in pane fermentato, quia luna 13. Iudęi nondum vtebantur pane azymo, sed fermentato. Nam incipiebant vti pane azimo, luna 14. ad vesperam iuxta præceptum Domini. Exodi 12. *Decima die mensis primi tollas &c. Et seruabis eum vsque ad* 14. *diem mensis huius.*

Vt ergo soluatur clarè ipsa grauissima difficultas, quæ à mille & viginti annis post Christum natum incepit, vt colligitur in Epistola. Leonis IX. ad Michaëlem Patriar-

cham Constantinopolitanum.

Notandum est primò, quod panis azymus & fermentatus sufficiunt ad substantiam Sacramenti. Vnde quamuis panis azymus non sit de necessitate Sacramenti, est tamen de necessitate præcepti. Ita vt peccent Græci consecrando in pane fermentato. Et Leo IX. vocat sententiam Græcorum hęreticam, & licet Christus cęnasset 13. Luna, vt Græci volunt, tamen verissimilius est credere Christum confecisse in azymo, quam in fermentato, vt optimè notat D. Thomas. 4. dist. 11. q. 2. articulo 2. quia licet anticipasset tempus tamen erat seruaturus omnes ceremonias Paschæ, & sicut credendum est vsum fuisse lactucis agrestibus, ita & pane azymo.

Præterea panis azymus est verè panis sicut fatemur de pane fermentato iuxta illud. *Cognouerunt discipuli Dominũ, in fractione panis,* 2. vel 3. Die Paschæ, & iste panis erat azymus, quia iuxta præceptum legis non debebat reperiri septem diebus panis fermentatus in domibus Iudęorum, & ratione probatur.

Quia sicut panis fermentatus fit ex farina, & puro igne concoquitur, quæ sunt so-

lum de ratione panis etiam si panis fermentatus sit delectabilior, fequentior & aptior, ita & panis azymus.

Si dicas panem fermentatum esse corruptum, nam modicum fermentum totam massam corrumpit. Respondeo panem fermentatum non propriè corrumpi, sed tantum alterari & disponi, totam massam corrumpit, hoc est fermentat, vt habet lectio Græca, nam massa trahit fermentum in suam naturam, & ex toto illo composito fit verus panis. Fermentum tamen ex se non potest esse materia apta Sacramenti, nec massa mixta nimio ex eo.

Quantum ergo ad necessitatem Sacramenti, potest confici in pane azymo & fermentato. Vnde Latini non dicunt Græcos non conficere, & ratio est quia, vt inquit Scotus, secundum Anselmum in lib. de azymo & fermentato, azymus & fermentatus non differunt substantialiter. Ideò in vtroque verè conficitur: quod item confirmat Scotus, quia tempore Leonis Papæ, (intelligit autem vt puto, de Leone nono) fuit constitutum, quod etiam in Ecclesia Latina conficeretur in fermentato, ad extinguendum hæresim Ebionitarum, qui dice-

bant neceſſarium eſſe Chriſtianos iudaizare, & per conſequens Paſcha ſuum agere in azymo, ſicut fecerunt Iudei.

Hereſi autem illa deſtructa rediit Eccleſia Latina, ad conficiendum in azymo, quæ eſt conformis inſtitutioni Chriſti, & promulgationi factæ per eius Vicarium Petrum, nam creditur, a beato Petro accepiſſe hanc conſuetudinem, quam conſeruauit continua traditione, vnde falsò imponūt Hęretici, introductam fuiſſe ab Alexandro III. vt conſtat ex Innocentio lib. 4. c. 4.

Quantum vero ad neceſſitatem præcepti, inquit Scotus, ſaltem in Eccleſia Latina hodiè conficiendum eſt in azymo, & addit Scotus. *Fortè etiam grauiter peccant Græci, qui ſe non conformant Eccleſiæ Petri, maximè cum hic habeatur ſolidum fundamentum, quod per Chriſtum inſtituit iſtud Sacramentum celebrandum, ad minus licet non neceſſario quin aliter fieri poſſet, tamen magis congruè celebratur.* Quibus verbis Scotus adducit duas rationes ad probandum Græcos peccare conficiendo in fermentato.

Primò, quia non ſe conformant Eccleſię Petri, quæ eſt caput, & cui ipſi ſunt ſubditi.

Secundò quia conuenientiùs celebratur in azymo, quam in fermentato. Conclusio autem ista Scoti intelligenda est de tempore, ante Concilium Florentinum, non de tempore sequenti.

Nam tempore Concilij Florentini sub Eugenio IV. in litteris sanctæ vnionis concessum est illis posse celebrare in fermentato. Ideo non peccant nunc si credant, vt credit Ecclesia Latina, neque sunt Schismatici. Adde quod Scotus non dixit absolutè illos peccare, sed addiderit (*fortè*) eo quod res tunc erat dubia.

Notanter etiam Scotus dixit conuenientiùs esse celebrandum in pane azymo, non solum quia id Christus fecit, vt videbimus capite sequenti, sed etiam ex significatione, quia panis azymus, significat puritatem & sanctitatem corporis Christi, vel puritatem sumentium & consecrantium, iuxta illud Diui Pauli: *itaque epulemur non in fermento veteri malitiæ & nequitiæ, sed in azymis synceritatis & veritatis.*

Prætereá vt ait D. Anselmus, panis azymus, facilius, purius, ac decentius conficitur, & addit Diuus Thomas, ad 4. quod

panis azymus magis est immunis ab omni corruptione.

De tempore quo Christus comedit Agnum Paschalem.

Sectio XVIII.

Ecclesia Latina firmiter credit Christum Dominum comedisse Agnum Paschalem cum suis Discipulis, Luna 14. ad vesperam, & 15. mortuum fuisse, quod probat multis authoritatibus, ex nouo Testamento, præsertim ex textu trium Euangelistarum, nam Matthęi. 26. habentur hęc verba ? *prima die azymorum accesserunt Discipuli ad Iesum dicentes. Vbi vis tibi paremus commedere Pascha.* Et deinde paulò infrá subiungit hæc verba. *Vesperè autem facto discumbebat cum duodecim Discipulis suis.*

Marci 14. habentur hæc verba: *& primo die azymorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei Discipuli, quo vis eamus & paremus tibi vt manduces Pascha?* & paulò infrá. *Vesperè autem facto, venit cum duodecim Discipulis, & discumbentibus eis.*

&c. Et Lucæ 22. *Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha, & misit Petrum & Ioannem &c.* & paulò infrá, *& cum facta esset hora discubuit, & duodecim Apostoli cum eo.* Ipsæ Authoritates ita cogunt Græcos, vt aliqui ad extremum amantes sui dogmatis, dicant, & respondere audeant, quod tres illi Euangelistæ errauerunt, & correcti fuerunt à Ioanne, quod Hereticum est asserere: quia si Euangelistæ errare possent, nulla esset fides nostra, nec postea magis credere deberemus Ioanni quam his tribus, sed nulla est inter eos discordia.

Vt autem hoc magis pateat, & clarior fiat solutio argumentorum Grecorum. Notandum est cum Scoto, hoc nomen *Pascha* quinque modis accipi. Primò, pro solemnitate magna dierum azymorum quę erat Luna 15. vt patet Exodi 12. & Numeri. 28. *Dies prima erit sancta atque solemnis, & dies septima eadem festiuitate venerabilis.*

Dies autem 15. erat prima dies integra azymorum: nam dies azymorum durabat octo diebus, & incipiebat die 14. ad vesperam, in qua comedebāt Pascha; dies autem immediate sequens erat solemnis dies fe-

ſtus Paſchæ. Vbi notandum eſt aliud eſſe diem Paſchæ, & aliud diem feſtum Paſchę, 14. enim dies erat dies Paſchæ in qua fiebant opera ſeruilia, vt patet ex eo *Ioan.* 13. *Quod facturus es, fac citius*, inquiebat Chriſtus Iudæ: ideſt eme ea quæ opus ſunt nobis ad celebrandum Paſcha. Dies autem 15. erat ſolemnis & magnus Paſchæ in qua non fiebant opera ſeruilia, & de iſto loquebatur D. Ioannes 13. Dicens *Ante diem feſtum Paſchæ.* Vnde locus fauet nobis, quia dies ſolemnis non erat 14. ſed, 15.

2. Paſcha poteſt accipi pro die 14. quæ erat prima dies azymorum quia in illo die comedebatur agnus Paſchalis, & celebrabatur Paſcha, & in iſto die Chriſtus etiam comedit agnum cum ſuis diſcipulis.

3. Pro hora immolationis agni Paſchalis quæ erat pars diei 14. Scilicet hora veſpertina, in qua quidem hora Chriſtus diſcubuit, cum duodecim diſcipulis iuxta illud Marci. 14. *Veſpere autem facto venit cum duodecim diſcipulis, & diſcumbentibus*, &c. 4. Pro agno qui comedebatur. 5. pro panibus azymis, & pro alio cibo qui manducabatur tempore ſolemnitatis azymorum quod erat octo dierum, & preſertim quia

in magna festiuitate quæ erat dies 15. offerebantur duo vituli, aries vnus, 7. agni anniculi immaculati vt patet *Numero c.* 28. ex quibus Iudei manducabãt cum azymis; vnde iste panis & animalia dicebantur ritè Pascha, quod confirmatur, quia dicitur 12. *Volens post Pascha producere cum populo*, id est, post dies azimorum, & Matth. 26. Videtur confundere hæc nomina azyma, & pascha dicens, *erat autem Pascha & azima post biduum.*

His positis respondendum est Græcis, & primò: quando dicunt Ioannem asserere, Iudeos noluisse intrare Prętorium ne contaminarentur vt possent manducare Pascha, non intelligebat Agnum Paschalem per Ly Pascha qui comedebatur ad vesperam diei 14. sed panem azymum & animalia, quæ illo die sacrificabantur & manducabantur, quod autem deberent esse mundi ad manducandos hos panes & cibos, patet ex 1. Regum c. 21. Vbi habetur manducantes panes propositionis debuisse esse mundos, panes autem azymi habebantur panes sancti & legales: quod maximè confirmatur adiungendo victimas istis panibus azymis, quæ illa die offerebantur.

Constat etiam Leuitici 22. manducantes illas debuisse esse mundos, ibi enim precipitur vt qui obtulerint sacrificando debeant esse mundi.

Quando etiam Græci adducunt Iudęos noluisse interficere *Christum* in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo, respondetur, quòd aliqui hoc Concilium dederũt, sed tamen præualuit opinio aliorum qui nulla habita ratione festi voluerunt Christum occidi, habentes oportunitatem ex proditione Iudæ, & timentes ne *Christus* ex manibus eius auffugeret.

Quando etiam inferunt Agnũ Paschalē fuisse figuram sacrificij crucis Christi, & ipsum immolari 14. Luna ad vesperam, & per consequens Christum debuisse etiam eo die immolari, & non 15. Respondetur Agnum Paschalem fuisse etiam figuram sacrificij incruenti Eucharistiæ quod Christus obtulit etiam 14. Luna dando suis discipulis corpus suum & sanguinem; vt docent Sancti Patres, Gregorius Nazianz. orat. 2. de Paschate, & Gregorius hom. 22. in Euangelia.

Quando non afferunt Christum non fuisse crucifixum die 15. quæ erat festum

ſolemnè, ſed eo die in quo fiebat præparatio ad illud, iuxta hunc paſſum Ioannis 19. *Erat autem dies Paraſceue*, id eſt præparatio ad Paſcha. Reſpondetur Ly Paraſceuè nullo modo ibi ſignificare prçparationem, quia nulla fiebat preparatio ad Paſcha, cùm non eſſet dies feſtus, ideò non fuit neceſsè die decima tertia preparare illa quæ erant neceſſaria ad Paſcha, cum poſſent præparari in ipſomet die 14. cum non eſſet dies feſtus.

Vnde Ly Paraſceue ſignificat feriam 6. quæ communiter appellabatur Paraſceuè: quia nõ licebat in Sabbatho preparare aliquid ad victum neceſſarium vt patet *Exodi* 35. & 16. Vnde Iudei præparabant omnia neceſſaria ad victum feria. 6. vt Sabbathum poſſent melius cuſtodire: & propterea feria 6. dicebatur communiter Paraſceuè, ſiue præparatio ad Sabathum.

Cum ergo feria 6. illo anno acciderit die 15. Martij in quo Iudei Chriſtum occiderunt, & in quo erat ſolemnis dies azymorum, optimè D. Ioannes vocauit illum diem Paraſceuè: quod ſi D. Ioannes addat Paſchæ, Ly Paſchę tenetur ibi adiectiuè vt ſit ſenſus, *Erat paraſceuè Paſchale*, ſiue quod

accidit in tempore Paschæ, & per consequens per illud Parasceuè non potest intelligi dies 14. sed dies 15. in quo accidit feria 6.

Quando etiam inferunt Iudęos nullum opus seruile facere in solemnitate Paschali neque aliquid illicitum, & tamen eo die quo Christus mortuus est, Iosephus ab Arimathia emit syndonem, & deposuit Christum de cruce, & Iudei etiam multa contra Christum fecerunt.

Respondetur primò, quod licet ille dies quo Christus mortuus est, fuisset magna solemnitas Paschalis, non tamen erat dies Sabbathi, in quo non solum opera seruilia, sed quęcumque opera prohibebantur, & licet Iudei multa fecerint contra Christum eo die, tamen arbitrabantur se obsequium præstare Deo, & potiùs seruare legem quam illam transgredi. Quantum verò ad Nicodemum, & mulierem diligentes Christum: ea quę fecerunt sepeliendo eum, &c. non erant opera seruilia, sed opera pietatis & charitatis, & per consequens non prohibita.

Quando iterum afferunt Diuum Chrisostomum hom. 81. in Ioannem super illa

verba Ioannis 18. *ipsi non introierunt in Prætorium, vt nō contaminarentur, sed manducarēt Pascha.* Dicētes, ipsū asserere Christū passum fuisse die 14. Respondendum est hoc falsum esse, neque hoc posse deduci ex eo, sed potius colligi ex illa Homilia, ipsum putasse Iudęos, precipuè scribas, & Pharisęos non comedisse Agnum Paschalem, Luna 14. vt fecerat Christus, quia occupati erant circa mortem Christi. Nam erāt illa nocte congregati in atrio Caïphæ, habentes Concilium circa mortem eius expectantes Iudæ promissionem, & euentum auidissimè.

Vnde, captus Christus, fuit ductus ad Annam, deinde ad illos, qui summo mane *Christum* ad Pilatum accusauerunt, nec verissimilè est illos quieuisse, donec viderint crucifixum, & ita distulerunt comestionem Agni Paschalis in diem 15. ad vesperam, & sic etiam exponi potest, illa authoritas supradicta, Diui Ioannis, *ipsi non introierunt Prætorium.* &c. Ad Euthimiū vero in Math 29 Nicepho lib. 1. histori. c, 23. & recentiores Græcos. Respondendum est eos recedere à veritate, & ab antiquis suis Patribus.

De

De consuetudine Ecclesiæ Grecæ & Latinæ.

SECTIO XIX.

VTraque Ecclesia debet suam consuetudinem seruare, vnde sacerdos Latinus in Ecclesia Latina tenetur cõficere sine dubio in pane azymo non solum propter scandalum, sed etiam quia Eccesiæ consuetudo obligationẽ inducit Quod ita dicendum est de Greco sacerdote, vt cẽset diuus Thomas, quia Ecclesia Greca in hoc præcise facto non est schismatica.

Nam aliud est improbare illam esse contra veritatem & reuerẽtiam Sacramenti, & aliud est seruare suam consuetudinẽ quam Ecclesia Romana non improbat nec reprehendit vt patet ex Concilio Florentino. Et ex Innocentio lib. 4. de hoc mysterio c. 33. Quod si Græcus asserat consuetudinem nostram esse contra veritatem Sacramenti tunc est schisma & heresis. Si verò tantum suam consuetudinem seruet non censetur schismaticus; & hoc præsertim verum est si in Ecclesia Greca reperiatur Monasterium

vel Collegium Ecclesiæ Latinæ. Nam debent suos ritus seruare.

Quod si Latinus sacerdos versetur in Ecclesia Græca & in propriis eorum Ecclesiis conficiat, optimè faciet eorũ mori ac consuetudini se conformãdo iuxta Doctrinam D. Ambrosij recitatam ab Augustino, & probatam Epist. 118. c. 1. Epist. 119. c. 10. Quod intelligendum est si diu hîc moretur & habitet incola apud Grçcos; & etiam si sit hospes siue peregrinus, illac pertransiens, & quod etiam intelligitur de ieiunio, de festis & alijs consuetudinibus quibus Latinus inter eos actu commorans se conformare tenetur.

Peccat etiam Græcus transeundo per Ecclesiam Latinã si consecret in pane fermentato, vt aliqui dicunt. Suarez tamen asserit vtrumque Sacerdotem Grçcũ & Latinum suam consuetudinem debere seruare transeundo, iuxta sententiam Leonis 2. c. 26. tametsi bene faciat eam consuetudinem seruare, non tamen ad id tenetur ex se & secluso scandalo. Secus tamen est si Græcus vel Latinus sacerdos mutasset domicilium. Quia manendo inter Græcos non censetur Græcus sed Latinus & ecõtra. Nam debet

se conformari Mor. & consuetudini vtriusque Ecclesiæ iuxta illud prouerbium, *Cum fueris Romæ, Romanorum viuito more.* Quod præcipuè intelligendum est de mora & habitatione. Notandum est insuper quod celebrare in azymo non est seruare ritum Iudæorum Vel Iudaizare quia non eo fine & eodem modo. Neque ex veteris legis obligatione facit Ecclesia Romana Sicut Iudæi: & quamuis Græci obseruent suum festum Paschæ die decima quarta lunæ nulla habita ratione diei Dominicæ: non tamen censetur Iudaizare licet magis appropinquet ad ritum Iudæorum.

Preterea non licet sacerdoti Latino consecrare in pane fermentato quacumque ex causa: vnde quamuis præceptum cõmunicandi in articulo mortis sit diuinum, & preceptum consecrandi in azymo inter nos sit humanum, quia tamen primum præceptum cõmunicandi est affirmatiuum obligans ad semper. Non pro semper. Idest quando commodè, & cum debitis circunstantijs: ideo posito alio præcepto humano prescribẽte debitum cõsecrandi modũ, cessare potest obligatio alterius præcepti, pro aliquo temporis articulo, ne aperiretur via

ad tractandum indignè hoc Sacramentum & contemnendum cæremonias Ecclesiasticas

De vino consecrando.

SECTIO XX.

Vinum vitis est materia calicis, iuxta illud, *Non bibam à modo ex hoc genimine vitis*, & ex facto *Christi*. Nam ipse dixit Apostolis: *hoc facite*, &c. Duæ autem sunt congruētiæ: prima. Quia vinū est maximè aptum ad nutriēdum, ratione caliditatis & humiditatis. Tum quia etiam maximè auget sanguinum. 2. Quia vinum est simul nutrimentū & medicamentum lætificans cor hominis. Vnde optimè significat sanguinem Christi. Iuxta illud Isayæ 49. *lauabit in vino stolam suam.* Significat etiam effectum huius sacramenti de quo infra dicemus.

Notandum est vinum album & nigrum siue rubeum nō differre specie, sed tantum accidentali quadam differentia. Vinum autem pomorum malorum granatorum & similia nedum differunt specie sed etiam

genere; vnde vina sunt tantum secundum quid.

Vinũ etiam vitis debet esse expressum ad hoc vt sit vinum simpliciter, nam quamdiu manet in vua est continuum alijs partibus & videtur differre specie à musto iam expresso. Adde quod quamdiu liquor est contentus in vua non est per se pręsens. Vinum autem in vase inclusum est per se sensibile, & per accidens occultum, & existit in vase per modum totius. Liquor vero clausus in vua in ea est per modum partis & per se latens & quasi insensibilis. Adde quod talis liquor pro eo statu non est in forma potabili, vnde non est vinũ nec materia potus. Quod necessarium est in materia Calicis seu sanguinis iuxta illud: *Bibite ex hoc omnes, &c.* Confirmatur quia licet mixtio aquæ non sit de necessitate sacramenti, tamen est de necessitate Calicis materiæ vt sit apta ad mistionem cuiusmodi est liquor inclusus in vua. Notãdum est insuper mustum ex vuis expressum ex se & ex rigore posse esse materiam huius Sacramenti, licet non sit conueniens.

Nam ipse Aristoteles 4. Meteororum c. 10. vocat mustum vinum recens, vnde ex

necessitate posset aliquis consecrare botrum expressum in calice, & miscere aqua, quia est vinum substantialiter, licet non sit purum, & perfectum: habet enim humoré aqueum, fæcem, & florem & tamen sacerdos peccat illud consecrando, quia est contra consuetudinem Ecclesiæ, decentiam & reuerentiam Sacramenti, & licet non frequẽtius eo vtãtur homines ob nimiam suam fortitudinem, & impuritatem, est tamen simpliciter potabile; lora (*C'est a dire du demy vin faict sur la grappe*) non est etiam materia debita, & committeret sacrilegium qui sacrificaret in ea; quia dubitatur an sit vinum & propter irreuerentiam.

Acetum etiam non est materia huius Sacramenti quia fit ex corruptione substantiali vini, vt colligitur ex effectibus, tum quia non potest iterum in speciem vini redire: vnde Aristoteles 8. Metaphic. c. 5. textu 14. illud comparat cadaueri. Quando autem glossa enumerat illud inter species vini intelligenda est de vino acido & acescente quod nondum formam substantialiter amisit, non vero de perfecto aceto. Sapa etiam (*c'est à dire du vin cuit*) non potest

esse materia Calicis quia non inebriat.

Vinum congelatum facta consecratione retinet sāguinem Christi. Quod videtur supponi in Missali Romano. Ratio est quia non est substantialiter corruptum. Nam ipso liquefacto habet qualitates vini: vinū etiam congelatum ante consecrationem si liquefiat postea, potest esse materia huius Sacramenti. Quamuis autem aliqui dicant non esse peccatum, consecrando illud. Tutius tamen est ipsum mutare si adsit etiam post oblationem.

Vinum vitis congelatum est sufficiens materia Calicis, quia licet non sit potabile per accidēs, tamē est potabile per se, quando est liquefactum. Et in hoc materia Baptismi differt à materia huius Sacramenti, quia cum Baptismus sit Sacramentum in vsu actuali, & ablutio sit materia propinqua, aqua debet esse liquida: Cum vero Eucharistia sit in esse permanenti, potest consistere in materia consecrata, tutius tamen est huiusmodi materiam consecrare, propter dubium.

De mixtione aquæ & vini ante consecrationem.

SECTIO XXI.

Mixtio aquę & vini non est de necessitate Sacramenti simpliciter, itaut aliquis possit simpliciter consecrare in vino puro, quia Christus non instituit hanc ceremoniam vt essentialem: nam hoc habemus ex authoritate & traditione Ecclesiæ. Vnde vt ait D. Thomas. Mixtio aquæ non significat Christum vel sanguinem eius, qui est potissima res huius Sacramenti, sed significat effectum, scilicet sãctificationem fidelium quæ fit per vsum Sacramenti, in eo qui suscipit.

Et ita sicut ipsa sanctificatio est posterior Sacramento, ita mixtio aquæ non est essentialis quæ eam significat, & sic intelligenda sunt verba ista diui Cypriani, *Si vinum consecretur sine aqua, incipiet esse sanguis Christi sine nobis, idest sine significatione nostræ sanctificationis.*

Quod si dicas, hoc pertinere ad primariam significationem Sacramenti cum si-

gnificet aquam fluxam è latere Chriſti.

Reſpondetur non eſſe ſignificationem eſſentialem, quia aqua talis, licet ſit naturalis, non erat tamen neceſſaria in Chriſti corpore vel ſanguine eius : neque etiam ipſa aqua quæ exiuit è latere Chriſti efficitur vi verborum ſed ſolum ſanguis. Vt patet his verbis: *hic calix ſanguinis*, &c.

Mixtio tamen aquæ & vini eſt conueniens, licet non ſit de neceſſitate ſacramenti, & hoc de fide eſt vt conſtat ex Conciliis Florẽtino. Tridentino, & Chartag. Aurelia. & Affricano, Prima Congruentia eſt. Quia creditur Chriſtum ſic feciſſe iuxta illud Prouerbiorum 9. *Sapientia ædificauit ſibi domum, miſcuit vinum* &c. Et ſecũdum id quod legitur in lithurgia D. Iacobi, *ſimiliter* inquit. *Poſtquam cœnauit accipiens calicem, & permiſcens ex vino & aqua*. 2. ad repræſentãdum aquam & ſanguinem fluxam è latere Chriſti, 3. ad repreſentandum effectum Sacramenti, ſcilicet vnionem Eccleſiæ cum Chriſto. Solent enim populi ſignificari per aquas Apocalypſ. 17. 4. ad ſignificãdam gratiam, *quæ eſt aqua ſaliens in vitam æternam*, vt rectè tangit D. Ambroſ. lib. 5. de Sacramentis, cap. 1. quinta quia per

aquam & vinum duplex Christi natura significatur, vt volunt Græci. 6. quia hoc Sacramentum dari debuit sub specie cibi & potus, prout sunt in communi vsu. Potus enim communiter temperatus, non est purum vinum, sed aqua mixtum, vnde infertur mixtionem illam esse necessariam necessitate præcepti, non quidem diuini, sed humani, vt habet Scotus, 9.7. cui fauet Concilium Tridentinum, dicens, hoc esse præceptum ab Ecclesia, Concilium etiam Florentinum non reprehendit Armenos omittentes mixtionem, quia agerent contra diuinum præceptum, sed quia recedebant à consuetudine Ecclesiæ, in qua solum videtur fundari tota ratio præcepti, & quamuis summus Pontifex possit dispensare de illa mixtione simpliciter, non debet tamen concedi, cum sit facilis practicè.

Aliqui dicunt Alexandrum Papam, hanc instituisse mixtionem, vt patet in vita eius, ex Breuiario Romano, tamen verisimilius est eam manasse, & eius præceptum a tempore Apostolorum. Ipsum verò Alexandrum primum fuisse, qui tradidit scriptum, vt patet in Lithurgia suprà dicta.

Ratio autem humana ob quam Christus

vſus eſt hac mixtione, eſt quia erat in vſu, vel quia aqua erat in menſa, ergo vt ſatiſfiat Patribus aſſerentibus eam eſſe ex inſtitutione & traditione *Chriſti*, dicendum eſt ipſam mixtionem emanaſſe à *Chriſto*, tanquam a cauſa exemplari, & ab aqua quæ ex latere fluxit, tanquam a cauſa finali. Vnde Patres reddentes vnam cauſam non excludunt aliam.

De circumſtantijs ſeruandis aquæ & vini.

SECTIO XXII.

AQVA debet eſſe naturalis, ſeu elementaris, ex conſuetudine & traditione Eccleſiæ, & ex facto *Chriſti*, vel quia hæc ſola accommodata eſt ad ſignificationem: vel quia nomine aquæ naturalis populus ſignificatur, vt patet ſuprà, vel quia aqua fluxa è latere *Chriſti* fuit naturalis, & iſta aqua non eſt de neceſſitate Sacramenti, ſicut nec mixtio, ſed de neceſſitate præcepti.

Aqua autem non debet eſſe tanta, vt poſſit corrumpere vinum, nec debet eſſe æqualis, ſed in modiciſſima quantitate, vt

docet Concilium Florentinum, quia quælibet guttula aquæ est sufficiẽs ad significationem, dummodo sit satis sensibilis.

Non satis est autem vt talis mixtio fiat in domo vel in dolio, sed requiritur vt fiat tẽpore sacrificij: quia non esset sacra ceremonia, nec haberet sacram significationem. Vnde grauiter peccat, qui miscet aquam vino ante sacrificium.

Si facta sit consecratio, omittenda est mixtio, quia cessauit ratio, & tempus præcepti, & significationis ipsemet autem sacerdos in Missis priuatis, debet facere mixtionem, in solemnibus verò potest esse subDiaconus, vt constat ex Missali Romano.

De conuersione aquæ in vinum, ante & post consecrationem.

SECTIO XXIII.

ARistoteles Philosophorum Princeps 1. de generatione c. vltimo, tenet vinum propter caliditatem suam esse maximè actiuum, & propterea posse conuertere aquam in debita proportione suæ actiuitatis, cui fauet Scotus, quia sustinet aquã

nom conuerti in ſauguinem *Christi*, niſi priùs conuertatur in vinum. Diuus etiam Bonauentura aſſerit, *Christum* non conſecraſſe calicem, donec aqua fuerit conuerſa in vinum.

Si dicas mixtione facta, aquam poſſe à vino ſeparari, filo aut medula iunci, & alio ſimili artificio. Dico non eſſe aquàm puram, ſed quemdam humorem aqueum, qui etiam poteſt extrahi a vino puro.

Quod autem aqua mixta vino conuertatur in ſanguinem per Conſecrationem, id aſſerit D. Ambroſ. lib. 4. de Sacramentis, c. 4. & rationibus ſuaderi poteſt, primò ex veritate formæ, quia per illud pronomen, *hic* ſignificatur totus ille potus, & liquor qui in calice continetur, & ſi non eſſet ſanguis, forma conſecrationis non eſſet ſimpliciter vera.

Secundò, quia vinum mixtum habita conſecratione, citò, proponitur adorandum populo, ergo ſignum eſt nihil aliud eſſe ſub ſpeciebus, quam corpus & ſanguinem *Christi.*

Tertiò, Quia Sacerdos facta ſumptione cenſetur manere ieiunus, & permittitur iterum celebrare & conſecrare, vt patet in

die natiuitatis Domini, ergo signum est aquam naturalem non remanere.

Quartò, quia talis conuersio melius & perfectius significat vnionem Ecclesiæ cum *Christo*, quam si aqua illa remaneret tantum per iuxta positionem sub speciebus.

De cognitione formæ Sacramentorum an sit necessaria ministro.

SECTIO XXIV.

SCotus respondet negatiuè, itavt vocet istud dictum, quorumdam Theologorum, indiscretum, scilicet *necesse est in quolibet Sacramento, scire præcisè quæ sunt verba de forma, ad hoc vt aliquis conficiat Sacramentum.* Notandum est ergo pro intelligentia opinionis Scoti. aliud esse, dicere verba consecrationis esse certa in se, & aliud illa debere esse nobis certa ad hoc, vt conficiamus Sacramentum: quia primum est certissimum, & de illo non loquitur Scotus, sed illud admittit. Secūdum autem falsum est ex ipso. Quod autem verba consecrationis debeant esse certa, & manifesta in se

probatur: quia eſſemus incerti, quando confeciſſemus Sacramentum, neque vlla haberetur inſtitutio. Deinde quilibet pro ſuo arbitrio poſſet vti forma qua vellet, & ſimiliter materia. Adde quod inſtitutio Sacramenti determinati, exigit determinatè materiam & formam, tanquam partes determinatas, ex quibus conficitur.

Secundum verò etiam probatur, quia etiã docti nõ poſſunt cognoſcere quæ ſint pręcisè verba pertinẽtia ad formam conſecrationis, propter diuerſas diſputationes & quia non adſunt ſanctiones Eccleſiæ determinantes precisè quæ ſint verba eſſentialia.

Præterea licet habeanur formæ Sacramentorum in Scriptura, hoc tamen non eſt in his formis pręcisè quibus vtimur. Eccleſia enim ſic illas ordinauit ex traditione Apoſtolorum, & addidit aliqua verba, quæ non habentur in Scriptura, & aliqua omiſit & vnam formam integram confecit, vt patet in conſecratione Corporis, vbi addidit illam particulam (*enim*) & de alijs formis. Ideo cum non habeatur ſufficiens authoritas eſt ſatis difficilè cognoſcere, quæ ſint verba neceſſaria. Prætereà cum ſint

multi Episcopi & Sacerdotes non multum periti, sequeretur istos non conficere hoc Sacramentum, quod est absurdum.

Sumus ergo certi quod consecratio sanguinis fit illis verbis, *hic est calix &c.* vsque ad illa verba, *quotiescumque feceritis*, sed quænam illorum verborum præcisè sint de essentia ignoramus, & sic est dicendum de forma consecrationis & ordinis, licet in aliquibus Sacramentis verba essentialia sint notiora, vt patet de Baptismo & Pœnitentia.

Vel dicendum est aliud esse loqui de forma præscripta ab Ecclesia, & aliud de verbis quæ sunt de essentia formæ.

Ministri enim tenentur sub pæna peccati, scire ea quæ ad suum officium pertinent, & per consequens illam formam præscriptam ab Ecclesia: sed non tenetur scire verba essentialia formæ, in hoc enim meliùs est accusare ignorantiam quæ est inuincibilis, quam fidere nimis propriæ doctrinæ, cum sint tot dissentiones inter Doctores, quæ videntur reddere talem ignorantiam inuincibilem.

Vnde non etiam sequitur: Christus dixit illa verba, ergo sunt de essentia consecra-

cra-

crationis. Nec etiam ſequitur iſte Sacerdos ignorat illam particulam, *enim* eſſe de eſſentia formæ conſecrationis, ergo non conficit proferendo alia verba.

Vtrum Chriſtus conſecrauerit illis verbis, hoc eſt corpus meum.

SECTIO XXV.

COmmunis & verior ſententia Theologorum, reiectis alijs adductis a Scoto, tenet Chriſtum confeciſſe hoc Sacramentum his verbis, *hoc eſt corpus meum*, non occultè prolatis, ſed publicè, & prout narrantur ab Euangeliſtis. Vt autem factum Chriſti clariùs fiat. Notandum eſt, tria adfuiſſe in inſtitutione Sacramenti Euchariſtiæ. Gratiarum actionem, benedictionem, & conſecrationem, vt patet ex ipſo Canone; an autem iſta tria ſint vnum & idem re, vel diuerſa eſt magna difficultas.

Suarez diſput. 58. ſect. 1. ſequitur opinionem eorum qui dicunt, hæc tria differre & eſſe diſtincta: gratiarum enim actio tendit in Deum. Benedictio vero tendit in creaturam quæ benedicitur. Vnde decla-

quia vt habet Innocentius III. de celebrat. Missarum. cap. cum Marthæ. Multa tradita sunt Ecclesiæ ab Apostolis, quæ tamē non sunt sic scripta in Euangelijs, quod dicendum est de ista forma. Notandum est etiam quod verba illa, *hic est calix sanguinis mei*, & ista, *hic est sanguis meus*, idem significant, quia calix accipitur hîc secundum figuram methonomicam, qua continens accipitur pro re contenta; & communiter accipitur calix sanguinis pro ipso sanguine, vt etiam habet Scotus d.8.q.2.art.3. vnde cum D. Petrus instituerit Canonem Ecclesiæ Romanę, verisimilè est quod ipse hæc verba ordinauerit, & hoc tradunt D. Thom.,3.p.q.78.art.3.& cæteri Theologi, in 4.d.8.præsertim D.Bonau.2.p,rat.1.q.2.

Tenet iterum Scotus Græcos consecrare, & conficere per istam formam. *Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur, in remissionem peccatorum*, licet ipsi omittant hæc verba, *æterni & mysterium fidei.*

Deinde subiungit Scotus aliquos dicere formam nostram, & formam Ecclesię Gręcæ esse sufficientem, nec non etiam quamcumque formam scriptam in Euangelijs,

ad consecrationem, licet Minister necessitate præcepti in Ecclesia Romana teneatur sub pœna peccati mortalis, vti forma ab Ecclesia Romana ordinata.

Asserit, insuper, Scotus cum aliis Theologis, illa verba Euangelii D. Lucæ, c. 22. *hoc facite in meam cõmemorationem*, loco quorum Ecclesia ponit ista. *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis*, non esse de essentia consecrationis, quia si sic essent Ecclesia non omisisset.

Scotus autem hoc probat tribus rationibus, 1. quia illud *hoc facite*, &c. non magis pertinet ad sanguinem quam ad corpus, &c. 2. quia præceptum de vsu Sacramenti Eucharistiæ, vel de vsu consecrationis, non est consecratio, nec præceptum de forma consecrationis, 3. quia verba consecrationis respiciunt materiam, Ista autem verba *hoc facite*, quæ conferunt potestatem consecrandi, respiciunt personas, scilicet Apostolos & successores eorum quibus talis potestas confertur: ergo sequitur ista verba *hoc facite*, non pertinere ad formam consecrationis calicis.

rans verba textus dicit ea esse intelligenda eodem ordine quo recitantur ab Euangelistis, adeò vt intelligatur *Christum*, priùs gratias egisse, deinde benedixisse panem, tertiò, fregisse ipsum 4 illum dedisse Apostolis 5 illum consecrasse; non tamen iudicandum est prius dedisse totaliter panem Apostolis, quam ipsum consecrauerit, sed simul potuit porrigere, & porrigendo simul proferre verba consecrationis, & ita talis prolatio priùs fuit finita, quam porrectio completa.

Licet ista opinio sit probabilis, sententia tamen Scoti, & D. Thomæ, 3. part. q 28. art. 1. ad 1. verior est, & magis probabilis, propter authoritates Patrum appellantium ipsam consecrationem, nomine benedictionis. Vnde Scotus & D. Thomas tenent benedictionem, gratiarum actionem, & consecrationem idem esse à parte rei. Nam D. Ambrosius lib. de ijs qui initiantur. c 9. Habet hæc verba, hic est panis quem benedictio consecrauit, maior est vis benedictionis quam naturæ, quia benedictione etiam ipsa natura mutatur, Diuus etiam Hyeronimus exponens ea verba, *gratias egit*, id est benedixit, 1. ad Corinth. c,

11. nec ipsa authoritas Concilij Tridentini, sess. 13. cap. 1. cogit, scilicet. Redemptorem nostrum hoc Sacramentum in cœna instituisse, cum post panis vinique benedictionem, se suumque corpus illis præbere, ac suum sanguinem disertis, ac perspicuis verbis testatus est. Quia non dicit Conc. Trident. benedictionem esse distinctam à consecratione, sed solùm dicit *Christum* post panis & vini benedictionem, &c.

Stante autem hac opinione dicendum est, cum Diuo Augustino, de consensu Euangelist. quod Euangelistæ non semper seruauerunt, eumdem ordinem in recitando res gestas, quo ipsæ res gestæ sunt. Vnde possumus dicere in proposito, hunc ordinem Christum seruasse, scilicet quòd accipiens panem benedixit dicens, *hoc est corpus meum*, & quod deinde fregit & dedit Discipulis suis, vel cũ Diuo Thoma, dum benediceret, frangeret & daret Discipulis suis, dixit hæc verba, *Accipite & comedite, hoc est corpus meum.*

Tenet etiam Scotus, art. 2. q. 2. d. 11. formam consecrationis vini esse veram & certã, eo modo quo vtitur Ecclesia Romana, licet non sic eam narrauerint Euangelistæ,

rans verba textus dicit ea esse intelligenda eodem ordine quo recitantur ab Euangelistis, adeò vt intelligatur *Christum*, priùs gratias egisse, deinde benedixisse panem, terriò, fregisse ipsum 4. illum dedisse Apostolis 5 illum consecrasse; non tamen iudicandum est prius dedisse totaliter panem Apostolis, quam ipsum consecrauerit, sed simul potuit porrigere, & porrigendo simul proferre verba consecrationis, & ita talis prolatio priùs fuit finita, quam porrectio completa.

Licet ista opinio sit probabilis, sententia tamen Scoti, & D. Thomæ, 3. part. q 28. art. 1, ad 1. verior est, & magis probabilis, propter authoritates Patrum appellantium ipsam consecrationem, nomine benedictionis. Vnde Scotus & D. Thomas tenent benedictionem, gratiarum actionem, & consecrationem idem esse à parte rei. Nam D. Ambrosius lib. de ijs qui initiantur. c. 9. Habet hæc verba, hic est panis quem benedictio consecrauit, maior est vis benedictionis quam naturæ, quia benedictione etiam ipsa natura mutatur, Diuus etiam Hyeronimus exponens ea verba, *gratias egit*, id est benedixit, 1. ad Corinth. c.

11. nec ipſa authoritas Concilij Tridentini, ſeſſ. 13. cap. 1. cogit, ſcilicet. Redemptorem noſtrum hoc Sacramentum in cœna inſtituiſſe, cum poſt panis vinique benedictionem, ſe ſuumque corpus illis præbere, ac ſuum ſanguinem diſertis, ac perſpicuis verbis teſtatus eſt. Quia non dicit Conc. Trident. benedictionem eſſe diſtinctam à conſecratione, ſed ſolùm dicit *Chriſtum* poſt panis & vini benedictionem, &c.

Stante autem hac opinione dicendum eſt, cum Diuo Auguſtino, de conſenſu Euangeliſt. quod Euangeliſtæ non ſemper ſeruauerunt, eumdem ordinem in recitando res geſtas, quo ipſæ res geſtæ ſunt. Vnde poſſumus dicere in propoſito, hunc ordinem Chriſtum ſeruaſſe, ſcilicet quòd accipiens panem benedixit dicens, *hoc eſt corpus meum*, & quod deinde fregit & dedit Diſcipulis ſuis, vel cũ Diuo Thoma, dum benediceret, frangeret & daret Diſcipulis ſuis, dixit hæc verba, *Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum.*

Tenet etiam Scotus, art. 2. q. 2. d. 11. formam conſecrationis vini eſſe veram & certã, eo modo quo vtitur Eccleſia Romana, licet non ſic eam narrauerint Euangeliſtæ,

rans verba textus dicit ea esse intelligenda eodem ordine quo recitantur ab Euangelistis, adeò vt intelligatur *Christum*, priùs gratias egisse, deinde benedixisse panem, terriò, fregisse ipsum 4. illum dedisse Apostolis 5. illum consecrasse; non tamen iudicandum est prius dedisse totaliter panem Apostolis, quam ipsum consecrauerit, sed simul potuit porrigere, & porrigendo simul proferre verba consecrationis, & ita talis prolatio priùs fuit finita, quam porrectio completa.

Licet ista opinio sit probabilis, sententia tamen Scoti, & D. Thomæ, 3. part. q. 28. art. 1. ad 1. verior est, & magis probabilis, propter authoritates Patrum appellantium ipsam consecrationem, nomine benedictionis. Vnde Scotus & D. Thomas tenent benedictionem, gratiarum actionem, & consecrationem idem esse à parte rei. Nam D. Ambrosius lib. de ijs qui initiantur. c. 9. Habet hæc verba, hic est panis quem benedictio consecrauit, maior est vis benedictionis quam naturæ, quia benedictione etiam ipsa natura mutatur, Diuus etiam Hyeronimus exponens ea verba, *gratias egit*, id est benedixit, 1. ad Corinth. c,

n. nec ipsa authoritas Concilij Tridentini, sess. 13. cap. 1. cogit, scilicet. Redemptorem nostrum hoc Sacramentum in cœna instituisse, cum post panis vinique benedictionem, se suumque corpus illis præbere, ac suum sanguinem disertis, ac perspicuis verbis testatus est. Quia non dicit Conc. Trident. benedictionem esse distinctam à consecratione, sed solùm dicit *Christum* post panis & vini benedictionem, &c.

Stante autem hac opinione dicendum est, cum Diuo Augustino, de consensu Euangelist. quod Euangelistæ non semper seruauerunt, eumdem ordinem in recitando res gestas, quo ipsæ res gestæ sunt. Vnde possumus dicere in proposito, hunc ordinem Christum seruasse, scilicet quòd accipiens panem benedixit dicens, *hoc est corpus meum*, & quod deinde fregit & dedit Discipulis suis, vel cũ Diuo Thoma, dum benediceret, frangeret & daret Discipulis suis, dixit hæc verba, *Accipite & comedite, hoc est corpus meum.*

Tenet etiam Scotus, art. 2. q. 2. d. 11. formam consecrationis vini esse veram & certã, eo modo quo vtitur Ecclesia Romana, licet non sic eam narrauerint Euangelistæ,

rans verba textus dicit ea esse intelligenda eodem ordine quo recitantur ab Euangelistis, adeò vt intelligatur *Christum*, priùs gratias egisse, deinde benedixisse panem, terriò, fregisse ipsum 4. illum dedisse Apostolis 5 illum consecrasse; non tamen iudicandum est prius dedisse totaliter panem Apostolis, quam ipsum consecrauerit, sed simul potuit porrigere, & porrigendo simul proferre verba consecrationis, & ita talis prolatio priùs fuit finita, quam porrectio completa.

Licet ista opinio sit probabilis, sententia tamen Scoti, & D. Thomæ, 3. part. q 28. art. 1, ad 1. verior est, & magis probabilis, propter authoritates Patrum appellantium ipsam consecrationem, nomine benedictionis. Vnde Scotus & D. Thomas tenent benedictionem, gratiarum actionem, & consecrationem idem esse à parte rei. Nam D. Ambrosius lib. de ijs qui initiantur. c. 9. Habet hæc verba, hic est panis quem benedictio consecrauit, maior est vis benedictionis quam naturæ, quia benedictione, etiam ipsa natura mutatur, Diuus etiam Hyeronimus exponens ea verba, *gratias egit*, idest benedixit, 1. ad Corinth. c,

11. nec ipsa authoritas Concilij Tridentini, sess. 13. cap. 1. cogit, scilicet. Redemptorem nostrum hoc Sacramentum in cœna instituisse, cum post panis vinique benedictionem, se suumque corpus illis præbere, ac suum sanguinem disertis, ac perspicuis verbis testatus est. Quia non dicit Conc. Trident. benedictionem esse distinctam à consecratione, sed solùm dicit *Christum* post panis & vini benedictionem, &c.

Stante autem hac opinione dicendum est, cum Diuo Augustino, de consensu Euangelist. quod Euangelistæ non semper seruauerunt, eumdem ordinem in recitando res gestas, quo ipsæ res gestæ sunt. Vnde possumus dicere in proposito, hunc ordinem Christum seruasse, scilicet quòd accipiens panem benedixit dicens, *hoc est corpus meum*, & quod deinde fregit & dedit Discipulis suis, vel cũ Diuo Thoma, dum benediceret, frangeret & daret Discipulis suis, dixit hæc verba, *Accipite & comedite, hoc est corpus meum.*

Tenet etiam Scotus, art. 2. q. 2. d. 11. formam consecrationis vini esse veram & certã, eo modo quo vtitur Ecclesia Romana, licet non sic eam narrauerint Euangelistæ,

quia vt habet Innocentius III. de celebrat. Missarum. cap. cum Marthæ. Multa tradita sunt Ecclesiæ ab Apostolis, quæ tamē non sunt sic scripta in Euangelijs, quod dicendum est de ista forma. Notandum est etiam quod verba illa, *hic est calix sanguinis mei*, & ista, *hic est sanguis meus*, idem significant, quia calix accipitur hîc secundum figuram methonomicam, qua continens accipitur pro re contenta ; & communiter accipitur calix sanguinis pro ipso sanguine, vt etiam habet Scotus d.8.q.2.art.3. vnde cum D. Petrus instituerit Canonem Ecclesiæ Romanę, verisimilè est quod ipse hæc verba ordinauerit, & hoc tradunt D. Thom.,3.p.q.78.art.3.& cæteri Theologi, in 4.d.8.præsertim D.Bonau.2.p,rat.1.q.2.

Tenet iterum Scotus Græcos consecrare, & conficere per istam formam. *Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur, in remissionem peccatorum*, licet ipsi omittant hæc verba, *æterni & mysterium fidei.*

Deinde subiungit Scotus aliquos dicere formam nostram, & formam Ecclesię Gręcæ esse sufficientem, nec non etiam quamcumque formam scriptam in Euangelijs,

ad conſecrationem, licet Miniſter neceſſitate præcepti in Eccleſia Romana teneatur ſub pœna peccati mortalis, vti forma ab Eccleſia Romana ordinata.

Aſſerit, inſuper, Scotus cum aliis Theologis, illa verba Euangelii D. Lucæ, c. 22. *hoc facite in meam cõmemorationem*, loco quorum Eccleſia ponit iſta. *Hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis*, non eſſe de eſſentia conſecrationis, quia ſi ſic eſſent Eccleſia non omiſiſſet.

Scotus autem hoc probat tribus rationibus, 1. quia illud *hoc facite*, &c. non magis pertinet ad ſanguinem quam ad corpus, &c. 2. quia præceptum de vſu Sacramenti Euchariſtiæ, vel de vſu conſecrationis, non eſt conſecratio, nec præceptum de forma conſecrationis, 3. quia verba conſecrationis reſpiciunt materiam, Iſta autem verba *hoc facite*, quæ conferunt poteſtatem conſecrandi, reſpiciunt perſonas, ſcilicet Apoſtolos & ſucceſſores eorum quibus talis poteſtas confertur: ergo ſequitur iſta verba *hoc facite*, non pertinere ad formam conſecrationis calicis.

De forma consecrationis panis & quæ sint verba de eius essentia.

SECTIO XXVI.

GRæci tenent ista verba, *quod pro vobis traditur*, præter ista quatuor. *Hoc est corpus meum*, esse de essentia consecrationis, quod tamen falsum est, quia sequeretur Ecclesiam Romanam carere vera consecratione, & vero Sacramento Eucharistiæ, quod est hæreticum: & fundamentum est: quia D. Matthæus illa verba apponit. Ecclesia autem cœpit consecrare priusquam Lucas scriberet. Dato ergo casu, quod Ecclesia consecrasset, secundum formam datam à D. Mathæo, verè consecrasset, & tamen non apposuisset illa verba, & per consequens non sunt de essentia.

Vnde cum D. Marcus & Mathæus adducant ipsa verba sola. *Hoc est corpus meum*, credendum est Beatum Petrum ordinasse, & instituisse, vt Ecclesia vteretur illa forma. *Hoc est corpus meum*, & consequenter ex attestatione D. Petri, quæ patet ex vsu perpetuo Ecclesiæ Romanæ, & ex omissio-

ne illorum verborum facta ab illis duobus Euangelistis; constat illa verba, *quod pro vobis tradetur*, non esse de essentia formæ consecrationis.

Licet ergo Apostoli & Sancti, apposuerint illa verba, *quod pro vobis tradetur*, non apposuerunt tamen tanquam de necessitate formæ, sed addiderunt ad declarandam veritatem Corporis Christi existentis in Sacramento, vel ad commemorationis passionis. Nec malè fecerunt Græci addendo hæc verba, cum nullum appareat præceptum Ecclesiæ prohibens, dummodo non addiderint tanquam de essentia, & non dixerint nos Latinos non consecrare. Quantum autem ad istam particulam (*enim*) fatentur omnes Theologi non esse de essentia formæ, præsertim D. Thomas 3. part. q. 78. art. 2. ad 5. quia talis particula non habetur in verbis Christi, prout referuntur ab Euangelistis, nec a D. Paulo.

Notandum est tamen illam particulam dictam fuisse à Christo, cum habeatur in Canone quod Christus illam dixerit *Hoc est enim Corpus meum*: quia vt habet Concilium Tridentinum, nihil falsum conti-

netur in Canone Missæ, sess. 22. cap. 4. & can. 6. vnde ista particula fuit apposita à D. Petro, vt ait D. Thomas, vbi supra ad 5. vel ex traditione Apostolorum, quia illud protulit Christus, non tamen tanquam necessarium ad consecrationem, & propterea Euangelistę illam omiserunt, tradendo ea quæ sunt de essentia Sacramenti Eucharistiæ.

Scotus vero asserit ipsam particulam fuisse appositam ad designãdum continuationem quæ fieri debet inter verba, quæ sunt de forma consecrationis, & verba præcedentia verba consecrationis. Vnde verba quæ sunt de essentia consecrationis, non debent proferri sine illis verbis præcedentibus: *cœnantibus illis accepit panem, & benedixit & fregit*, &c.

De necessitate verborum præcedentium consecrationem ad mentem Scoti.

Sectio XXVII.

Tenet Scotus Sacerdotem non conficere Sacramentum si tantum proferat illa verba. Hoc *est Corpus meum*,

ſine iſtis prioribus canonis ipſius, *Poſtquam cænauit, accepit panem in ſanctas manus ſuas: benedixit & fregit, deditque Diſcipulis dicens, Accipite & manducate.* Et vis fundamenti Scoti in hoc conſiſtit, quia certiſſimum eſt iſta verba. *Hoc eſt corpus meum*, eſſe verba conſecrationis, & habere vim tranſubſtantiandi panem in Corpus Chriſti, non quidem abſolutè & nudè ſumpta, ſed quatenus ſunt Chriſti verba, nudè & ſimpliciter: ſiue quia ſignificant Corpus Chriſti, ex vi verborum, & de rigore ſermonis: & ſi hoc non eſſet, illa verba eſſent falſa, ex vi verborum.

Ergo ad hoc vt iſta propoſitio, *hoc eſt Corpus meum*, ſit vera neceſſè eſt vt proferatur in perſona Chriſti. Vnde ſi proferatur in perſona Sacerdotis pręcisè, non erit forma conſecrationis. Hoc poſito fundamento, ſic arguit Scotus.

Iſta verba, *hoc eſt Corpus meum*, nudè accepta, & ex vi verborum non ſunt verba Chriſti, quia poſſunt applicari ad perſonã proferentis, nam ego poſſum proferre illa verba in propria perſona, & tunc non erunt in perſona Chriſti, neque ſignificabũt perſonam Chriſti, ſed perſonã meã, er-

go necesse est, vt ista verba determinētur ad personā Christi:ipsa autem determinatio debet fieri per aliquod signū sensibile.

Nullum autem est sensibile magis significatiuum & distinctiuum quam verba: vt vidimus dist.2.q.1.de materia & forma Sacramenti Baptismi. Ergo hæc determinatio debet fieri per verba prçcedentia: non autem per intentionem proferentis, gerentis personam Christi, vt volunt aduersarij doctrinæ Scoti.

Quia intentio proferentis non potest facere vt ipsa propositio sit vera, & significet vi verborum, & in proprietate, Corpus Christi, nisi apponat alia verba, quæ notificent illa verba in illo sensu intento esse vera; addit tamen Scotus, non esse propterea inferendum, verba illa præcedentia pertinere essentialiter ad necessitatem consecrationis, sed solum esse prçmittenda necessariò verbis consecrationis, vt ex ipsis haberi possit quod ista verba. *hoc est Corpus meum*. Proferantur ex vi verborum, & in rigore sermonis, in persona Christi, & quod significent personam Christi, non vero personam Ministri proferentis. Vt ergo tollatur omnis difficultas

ſententiæ Scoti. Notandum eſt verba conſecrationis eſſe neceſſaria ad conſecrationem, poſſe intelligi dupliciter. 1. quod ſint neceſſaria tanquam pars eſſentialis formæ, ſiue, tanquam de eſſentia formæ, & hoc modo falſum eſt, illa eſſe neceſſaria. Alio modo neceſſaria, vt iſta verba, *hoc eſt Corpus meum*, ſint verba Chriſti, & vt ſint forma apta conſecrationis.

2. Notandum eſt illa quatuor verba, *hoc eſt Corpus meum*, non eſſe verba conſecrationis abſolutè ſumpta, ſed tantum quatenus ſunt verba Chriſti, non ſunt autem verba Chriſti, nec proferuntur in perſona Chriſti à Sacerdote, niſi præmittantur verba illa, vel æquipollentia, vt probatum eſt.

3 Notandum eſt verba illa præcedentia partim eſſe Apoſtolorum, partim Chriſti, & partim Eccleſiæ, quia Canonem fuiſſe ordinatum a D. Petro, & alijs Sanctis Pontificibus, in Latina & Græca Eccleſia certum eſt. Et quamuis Eccleſia non poſſit inſtituere aliquid pertinens ad eſsentiam Sacramentorum, ipſa tamen poteſt ex traditione Apoſtolorum ex ipſo Chriſto, determinare verba iſta, eſſe verba conſecrationis, & dici in perſona Chriſti, vel quando

sunt prolata in persona eiusdem,& hæc sufficiunt pro solutione difficultatis.

Tenet etiam Scotus,materiam consecratam sine verbis præcedentibus formam consecrationis, & alijs requisitis, non esse absolutè adorandam, sed tantum sub conditione,posito casu scilicet quod sit consecrata. Vnde Scotus non vult definire talem materiam esse consecratam, sed solum asserit esse dubium, propter rationes superiùs factas:

Et addit, verba consecrationis non esse iteranda cum prçcedentibus,nec absolutè, nec sub conditione, quia Eucharistia non est Sacramentum necessitatis,sicut Baptismus, neque est hîc periculum salutis, vnde Baptismus iterari potest, cum conditione.

Asserit etiam hanc materiam non esse seruandam quia putresceret, sed Sacerdos in Missa debet illam sumere ante ablutionis perceptionem vini cum intentione ista, sic: si istud est consecratum, recipio vt cõsecratum, sed si non est consecratum vt sic non sumo, & quia est adhuc ieiunus ante talem perceptionem ablutionis, recipiendo talem materiam consecratam, si sic, non facit irreuerentiam Sacramento per-

cepto, quia iam illud Sacramentum percepit. Statim enim poſt ipſam perceptionem ſolemus percipere vinum purificationis.

De ſignificato formæ Corporis & ſanguinis.

SECTIO XXVIII.

TOta difficultas ſenſus verborum formæ Corporis eſt circa ſignificationem illius pronominis, *hoc* quia demonſtrat aliquid vt patet ex communi vſu. An ergo demonſtret, & ſignificet Corpus Chriſti, vel panem, vel accidentia, vel aliquid aliud?

Omiſſis aliis opinionibus Scot. in 4. d. 8. q. 2, multa dicit, & primò obſeruat Euchariſtiam bifariam poſſe conſiderari, ſcilicet in eſſe conſecrationis, in quo præter ſignificata propria & communia ſignificat cœnam factam cum Apoſtolis, & ſecundum iſtum modum ipſa verba, inquit, *hoc eſt Corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, efficiunt vnicam & totalem formam Euchariſtæ, non quidem vnitate indiuiſibilitatis, ſed vnitate integritatis.

2. Sumitur Eucharistia in esse permanenti quatenus remanet consecratione facta, & tunc nullam habet formam.

Secundò notat Scotus, latum esse discrimen, inter significationem verborum in propositionibus significantibus ex impositione hominum, & inter significationem verborum in propositionibus determinatis à Deo pro formis Sacramentorum. Nam in primis propositionibus conceptus ex illis causatus, tantum habetur in vltimo instanti prolationis vltimæ syllabæ. In alijs vero habetur conceptus rei, in vltimo instanti volitionis diuinæ.

Vnde docet hæc tria fieri in eodem instanti temporis, prolationis verborum huius propositionis, *hoc est Corpus meum*, Scilicet quod conceptus huius propositionis est prius de se, & ordine naturæ indifferens, & neuter ad veritatem vel falsitatem rei significatæ.

2. Quòd operatio diuina sequitur statim ad talem conceptum neutrum, circa significatum per orationem.

3. Quod ex virtute huius operationis, per ministerium proferentis statim sequitur veritas conceptus affirmati per ipsam pro-

positionem qu.quidem conceptus subordinatur essentialiter conceptui diuino, qui concurrit effectiuè ad positionē Corporis & sanguinis Christi sub speciebus virtute verborum.

Tandem concludit Scotus hanc propositionem veram esse, scilicet *Hoc est Corpus meum*, vt est significatiua tantum, pro eo instanti, in quo intellectus fertur in totum complexum; & quod habet veritatem, vt est operatiua, eomet instanti quo Deus efficacitèr concurrit, ad esse carnis & sanguinis Christi sub speciebus, per transubstantiationem. Vt autem clarior fiat resolutio, difficultatis, circa ipsam propositionem. *Hoc est Corpus meum.*

Notandum est cum Scoto, quod licet propositio de præsenti, ex se & de rigore sermonis, non significet extrema vniri pro vltimo instanti prolationis completæ propositionis: potest tamen illud significare, pro illomet instanti, & si adsit intentio proferentis.

Vnde licet hæc propositio de rigore sermonis. *Hoc est Corpus meum*, non significet pro vltimo instanti prolationis, potest tamen significare pro illomet vltimo instanti

ex intentione proferentis, & in quantum est minister Dei. Quia Deus videns intentionem Ministri, potest illi orationi assistere, ad agendum eo modo quo ipsa oratio significat secundum intentionem proferentis.

Instat tamen adhuc Scotus, quia licet admitteret illud pronomen, hoc demonstrare ad sensum species, & ad intellectum Corpus Christi, dicit hanc propositionem. *Hoc est Corpus meum*, non esse veram, nisi priùs sit facta conuersio substantiæ panis in Corpus Christi, nam ex Philosopho, ab eo quod res est dicitur oratio vera vel falsa, & per consequens ista propositio non est conuersiua, in quantum vera.

Respondet Scotus non esse necessarium Theologo saluare propositionem illam esse veram, ante conuersionem substantiæ panis in Corpus Christi, sed sufficit vt sit vera post conuersionem, quia ista propositio. *Hoc est Corpus meum*, non est Sacramẽtalis & cõuersiua, vt vera est, sed est conuersiua, vt est signum sensibile institutum a Deo, vnde vt talis est, est instrumentum Dei ad consecrationem, quæquidem consecratio sequitur in vltimo instanti, prolationis

lationis illius propoſitionis: itaut Deus aſſiſtat illi tanquam cuidam diſpoſitioni pręuiæ efficaci, vt ea completa & peracta cauſet talem effectum inuiſibilem.

Et ſic prius fit conſecratio quam ſit vera oratio, vnde non cauſat vt vera, ſed vt neutra & indifferens. Idem Scotus aſſerit eſſe dicendum de forma conſecrationis ſanguinis: quia omnes difficultates factæ de forma panis poſſunt fieri de forma conſecrationis vini. Et eodem modo, eſt reſpondendum.

Tenet etiam ſcotus illud pronomen, *hoc*, ſupponere in ſe pro ſingulari & particulari entis, itaut ſit ſenſus. *Hoc eſt Corpus meum*: ideſt hoc ens eſt Corpus meum, hoc eſt lapis pretioſus, ideſt, hoc ens eſt lapis precioſus Licet autem in talibus propoſitionibus, hoc, ſupponat tantum pro ſingulari entis, tamen intelligitur pro ſingulari alicuius entis inferioris illius entis in cõmuni, ſcilicet pro illo quod explicatur in fine orationis. Vnde ſi dicam Hoc ens eſt lapis pretioſus Ly hoc ens, ſupponit pro ſingulari entis, & adhuc ſignificat & demonſtrat lapidem pretioſum, quiquidem lapis prædicatur de illo ſingulari entis.

Ita in proposito quando dicitur: *Hoc est Corpus* ly hoc supponit pro singulari seu inferiori entis vniuersalis, & significat Corpus Christi, quod demonstratur esse in ipso singulari, in vltima prolatione illius propositionis: *Hoc est Corpus meum*, vnde Corpus Christi, est significatum huius orationis & omnium eius partium in vltimo instanti suæ prolationis.

Notandum est insuper istam propositionem: *Hoc est Corpus meum*, esse formam Sacramenti in quantum habet significatum, vel vt significatiuà est. Nō vero vt est nudus sonus: vel vt præcedit secundum suam entitatem conuersionem; quia si hæc verba: *Hoc est Corpus meum*, concurrerēt cum sua significatione, non erat ratio, cur Deus ista verba eligeret pro instrumento ad hanc consecrationem potius quam lignum vel lapidem.

Adde quod Sacramentum est signum, ista autē verba sunt Sacramentalia siue forma Sacramenti, ergo prius natura significant, quam efficiant.

De forma essentiali sanguinis.

SECTIO XXIX.

COmmunis opinio Theologorũ presertim. Magistri in hoc 4. d. 8. D. Bonauent. 2. p. art. 1. q. 2. Alensis 4. p. q. 33. membro 4. art. 1. ad tertium: tenet ista verba: *Hic est sanguis meus.* (vel) *Hic est calix sanguinis mei*, esse de essentia & substantia formæ consecrationis sanguinis quod probatur primo.

Quia omnes Euangelistæ narrãtes hanc institutionem, necesse est vt illam narrent quo ad verba essentialia, at omnes referunt illa verba: *Hic est sanguis meus*, aliorum vero verborum, vnus aliqua omittit & alius alia, exceptis illis: *Noui Testamenti*, quæ ponuntur ad D. Paulo, & ab omnibus Euangelistis. 2.

Vsus Ecclesiæ Romanæ videtur habere ista sola verba esse de essentia formæ vt patet per secula. 3. Authoritates sanctorum Patrũ qui loquendo de hac consecratione ponunt tantum illa verba: *Hic est sanguis meus*, vt videre est præsertim apud D. Am-

brosium 4 de Sacramentis c. 5, *accipite* (inquit) *& bibite*: *Hic est enim sanguis meus*, idem probatur multis aliorum Patrum authoritatibus quas affert Suarez.

Deinde verba Sacramentorum efficiunt quod significant sed hæc sola verba: *Hic est sanguis meus*, vel, *Hic est Calix sanguinis mei.* Significãt conuersionem & illam efficiunt, ergo illa sola sunt de essentia consecrationis vini.

Addit etiam Scotus quod licet illa verba: *Hic est sanguis meus*, vel æquipollentia vt: *Hic est Calix sanguinis mei*, sint de essentia formæ sine vlla dubitatione, non esse tamen certitudinaliter traditum an aliqua verba post illud, *Sanguinis mei*, pertineant ad formam consecrationis: & in particulari an aliquod illorum verborũ subsequentium sit de essentia illius formæ, ideo inquit Scotus, est periculosum hoc vel illud asserere de quo non habetur reuelatio & sufficiens authoritas, neque tamen est periculosum istud ignorare, quia videtur esse ignorantia inuincibilis.

Quomodo autem se gerere debeat Sacerdos in hac re dubia? Respõdet quod Sacerdos intendens facere, quod facit Ecclesia,

legens distincte verba Canonis à principio vsque ad finem, vere cõficit, nec est tutum, alicui valde se reputare peritũ de sua scientia & dicere : Volo vti præcisè istis verbis pro cõsecratione sanguinis, sed securior est simplicitas, volo ista verba proferre sub ea intentione qua Christus instituit ea proferenda esse, & quæ ex Christi institutione sunt de forma; dico vt de forma & quæ ad reuerentiam, dico ad reuerentiam. Tenet etiam Scotus quod si Sacerdos moreretur prolatis tantum his verbis. *Sanguinis mei*, Materia illa sanguinis non esset absolutè adoranda sed solum sub conditione, scilicet, si vinum est consecratum illud adoro: neque esset iteranda consecratio cum omnibus verbis certis, neque absolutè neque sub conditione, vt dictum est supra de consecratione panis. Neque illa materia esset asseruanda, ne putresceret, sed sacerdos posset illam recipere in sua Missa post cõmunionẽ sub intentione conditionata, scilicet si istud est consecratum, recipio vt consecratum, si non est consecratum non recipio, vt consecratum, sed vt incertum : nec in hoc potest esse periculum quia ieiunus est ante perceptionem vini ablutionis.

De reali præsentia corporis Christi sub speciebus.

SECTIO XXX.

OMnes Catholici conueniunt, Corpus Christi verè & realiter esse sub speciebus. Vnde Scotus in hac dist. 10. q. 1. articulo primo. Tenet veritatem hanc, esse de substantia fidei eo modo quo veritas alicuius Sacramēti pertinet ad articulos fidei & infra. Est (inquit) simpliciter hæresis sentire, quod non sit realiter ibi verum Corpus Christi.

D. Thomas 22. q. 1. art. 8. ad 6. tenet esse articulum fidei, & reduci ad articulum de omnipotentia. Quia hoc Sacramentum continet miraculum maximum quod pertinet ad omnipotentiam. Vel reduci ad illum articulum. Credo sanctam Ecclesiam, quia sanctificat suscipientes, & Christus facit remissionem peccatorum per Sacramenta Ecclesiæ.

Hæc assertio probatur ex antiqua praxi Ecclesiæ, primò, ex adoratione quam accedentes ad hoc Sacramentum illi semper

exhibuerunt, vt habet Clem. lib. 1. constitutio c. 61. his verbis. *Cum timore & tremore tanquam ad Regis Corpus accedentes.* Vnde D. Greg 4. Dialog. c. 58. *Quia fidelium habere possit dubium in ipsa immolationis hora ad Sacerdotis vocem cælos aperiri, in illo Iesu Christi Mysterio Angelorum choros adesse.* 3.

Secũdò ex diligentia in receptione Sacramenti cum maxima puritate vnde ob maiorem reuerentiam Sacramenti non dantur reliquiæ infantibus, nec in manibus cõmunicantium Eucharistia, sed infunditur in ora eorum per Sacerdotes vt fuit determinatum in Concilio Rothomagensi. Et in Concilio Altisiodo, Canone 36. prohibetur omnibus laicis vniuersaliter contactus huius Sacramenti.

3. Ex consecratione Sacerdotum Templorum & Altarium, & benedictione vestium, sacrorum vasorum, nec non vniuersi cultus religiosi, quæ semper in Ecclesia seruata sunt nam hæc refferũtur ad Christũ contentum in Eucharistia.

4. Ex Ceremonia panis benedicti qui dabatur Catecumenis loco Eucharistiæ, vel in memoriam huius Sacramenti, cuius non erant adhuc capaces. Et ista ceremonia

extensa est ad fideles baptizatos quando consuetudo communicandi remitti cœpit. Vnde Pius primus præcepit vt presbyter particulas panis habeat in vase ē medio, easque benedicat, vt qui comunicare nollent Dominicis ac festis diebus eulogiam inde acciperent.

5. Ex consuetudine Ecclesiæ iubentis Cathecumenos exire finita oblatione & ante consecrationem: Ecclesia enim existimabat non esse satis dispositos qui non erant Baptismo initiati ad conspiciendum hoc Mysterium vt notauit. D. Thomas infra q.80. art. 4. ad 4. vnde D. August tract. 10. in Ioannem, hæc habet verba. *Corpus Christi est Manna absconditum à Cathecumenis, quia Iesus non se credit illis.*

6 Ex opinione priscorum infidelium qui arbitrabantur Christianos simul conuenire vt ederent carnes humanas & infantem; quamuis hoc mysterium diligentissime eis absconderetur à Catholicis qui enigmaticè & obscure de illo loqui solebant, ne sanctum canibus præbere viderentur.

Probatur etiam ex antiqua traditione Eccleſiæ à tempore inſtitutionis Euchariſtiæ.

SECTIO XXXI.

VEritates Catholicę in hoc differũt ab hæreſibus quod ignoratur ortus illarum, & ſunt ita antiquę, ſicut ipſa lex Chriſti: hęreſes vero nouitatem ſemper præſeferunt vnde heretici dicũtur nouatores quia derelinqunt doctrinam antiquam Eccleſiæ & nouas doctrinas ſeu aſſertiones inueniunt.

Ideo principiũ omniũ hæreſeum inuenitur & ſcitur & eorum authores & inuentores manifeſti ſunt, ſed veritatum Catholicarum non inuenitur aliud principium à Chriſto & Apoſtolis vt patet de veritate Corporis Chriſti ſub ſpeciebus de qua ex profeſſo tractant diſputantes contra hæreticos ad quos lectorem remitto.

Primus enim qui in Eccleſia Latina negauit hanc veritatem fuit Berengarius vt ait D. Thomas, quem poſtea ſequũti ſunt Ioannes Vuiclef & Valdenſes & alij vſque ad Caluinum contra quos ſtatim Catholici

insurrexerunt. Vt Guitmondus contra Berengarium &c. Vnde ex nouitate huius negationis veritatis satis apertè hæc veritas patet.

Probatur iterũ ex Scriptura, nam Matth. 26. & Luc. 22. apertè Christus instituens hoc Sacramentum accepit panem in manus suas, & illũ dedit dicẽs. *Accipite & mãducate, hoc est Corpus meum*, &c. sed Christus non dixit falsum: ergo ibi erat verè & realiter Corpus Christi.

Nec dicendum est vt faciunt hęretici Christum loqutum fuisse figuratè sicut quando dixit: *ego sum vitis vera*, *Ioanni*, 15. quia vt notat Scotus iuxta doctrinam D. Aug. libro octuaginta trium quæstionum q. 96. Verus sensus scripturarum, patet ex verbis præcedentibus, & consequentibus illam propositionem, *hoc est Corpus meum*, colligitur an Christus protulerit illa verba figuratè vel verè: at verba sequentia ad illam orationem, *hoc est Corpus meum*, sũt ista *quod pro vobis tradetur*, sic de istis, *hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur.*

Manifestum est autem quod Corpus Christi verè & realiter pro nobis fuit traditum passum, & mortuum: & sanguis eius

verus, verè ac realiter fuit effuſus. Igitur Chriſtus in illis verbis, *hoc eſt Corpus meum*, & illis, *hic eſt ſanguis meus*, loquutus eſt verè & realiter, quia quando Chriſtus protulit hæc verba, inſtituebat Sacramentum, & Sacrificium in Eccleſia perpetuò duraturum, cuius vſum continuò & citò præcepit dicens, *hoc facite in meam commemorationem*, ergo oportebat verbis propriis explicare: Nam ſi Sacramenta per metaphoram traderentur, omnia incerta redderentur.

Et confirmatur, quia Chriſtus inſtituendo hoc Sacramentum, declarauit ſuam vltimam voluntatem, iuxta illud: *hic Calix nouum Teſtamentum.* Nam non licet recedere à proprietate verborum in ſignificatione verborum alicuius Teſtamenti.

Præterea Chriſtus non deſignabat ſeipſum in ſua forma viſibili dicendo, *hoc eſt Corpus meum*, vt quidam hæretici volunt, ſed id quod præ manibus habebat, & Diſcipulis dabat: at quid enim aſſeruiſſet Diſcipulis quod videbant?

Tam clariſſimè locutus eſt de ſuo Corpore, vt quamuis Matthęus, Marcus; Lucas, & D. Paulus, diuerſi mode loquti fuerint, tamen cum veniſſent ad hæc verba,

hoc est Corpus meum, ea referunt cum sua proprietate, sine additione, aut truncatione vlla.

Si obiicias illud Pauli. *Patres nostri eandem escam*, &c. Sed Patres nostri in figura manducauerunt, ergo & nos. Respondetur D. Paulum non dicere ipsos Patres manducasse nobiscum eandem escam, sed solum ipsos omnes eandem escam manducasse, vt patet ex eo quod sequitur. Sed non in pluribus eorum, (& non nostrorum beneplacitum, respectu enim nostri addit postea. *Omnia in figuris contingebant illis*, & quãuis D. Paulus diceret illos, & nos eandem escam spiritualem, idest Christum, non tamen eodem modo. Illi enim per fidem, nos vero per fidem, & realem manducationem.

Scotus confirmat esse germanum sensum istius propositionis, ex illo Ioannis c. 6. *ego sum panis viuus.* &c. *amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filii hominis*, &c. Vbi apertè Christus pollicetur se daturum proprium Corpus & sanguinem suum in cibum, ipsis credentibus, quod postea fecit instituendo hoc Sacramentum. Nec putandum est Christum locutum fuisse, ibi

de ſpirituali manducatione, vt aliqui volunt, quia populi loquebantur de pane reali, dicendo. *Domine da nobis hunc panem*, & Chriſtus reſpondit in eorum ſenſu, ſe eſſe verum panem de cælo.

Et confirmatur, quia illi audiẽtes ſcandalizati ſunt, quia diceret ſe daturum illis carnem ſuam in cibum, & ſanguinem ſuum in potũ, & tamen Chriſtus repetit, quod ſi non manducauerint & biberint ſanguinem ſuum, non habebunt vitam æternam: ergo apertè conſtat quod loquebatur de vera & reali manducatione Corporis ſui.

Præterea Chriſtus videns aliquos ex ſua prędicatione ſcandalizatos, expoſuit ſe dicens. *Verba quæ loqutus ſum vobis ſpiritus & vita ſunt.* Vbi declarat Diſcipulis, quomodo hæc manducatio facienda eſſet, neque enim erat facienda de carne & ſanguine Chriſti ſub ſpeciebus carnis & ſanguinis, ita quod caro Chriſti in propria forma eſſet ſecanda & diſtribuenda in partes, vt fit in Laniario de carnibus aliorũ animaliũ, quomodo intelligebant Hebręi: & ad literam erat intelligendum, niſi Chriſtus declaraſſet. Sed dixit hoc eſſe faciendum, modo ſpirituali, ſub alia forma, ſcilicet ſub forma

sub specie panis, & sub specie vini.

Non enim decuisset manducare carnem Christi, sub propria forma, quia homines non vescuntur carnibus humanis, nec bibunt sanguinem humanum, ideò hæc caro & sanguis, erat velanda & tegenda sub speciebus panis & vini.

Adde quod caro & sanguis Christi non debet esse cibus corporalis, qui conuerteretur in carnem & sanguinem nostrum, vt facit cibus noster materialis, sed debebat spiritualiter reficere animam gratia, & suis donis. Vnde Christus vocat hoc Sacramentum, siue illam realem manducationem spiritum & vitam; sic intelligendus est D. Augustinus explicans illa verba, *spiritus & vita sunt*, scilicet *non hoc Corpus quod videtis manducaturi estis, nec sanguinem effundendum*, & subiungit *Sacramentum aliquod vobis commendaui, spiritualiter intellectum viuificabit nos*. Vt reffertur de consecra.d.2.c.1. hæresis. Vnde concludit Scotus, illa verba esse intelligenda simpliciter de reali præsentia, Corporis & sanguinis Christi, non figurate.

D. Dionysius vocat Eucharistiam typicæ mensæ apparatum, quia sub signis sensibi-

libus res diuinæ continentur.

Quando etiam D. Hieronymus in cap. 26. D. Mathæi dicit Christum veritatem sui corporis repræsentare, Lv, repręsentare, significat rem pręsentem facere, vel rem significare. & propterea non malè dixit D. Hieronymus, quia Christus consecrando Corpus & sanguinem suum, passionem suam repræsentabat. Vnde ipse Pater Epist. 150. q. ad Hedib. tractans hæc eadem verba, ipse, inquit, Iesus conuiua & conuiuium, ipse comedens & qui comeditur.

Quando Tertulianus dicit, *hoc est Corpus meum*, id est, *figura Corporis mei.* Duobus modis intelligitur hæc locutio, 1. Vocat hoc Sacramentum figuram, idest repræsentationem eiusdem Corporis visibilis in propria specie existentis. 2. Non vocat Sacramentum figuram Corporis Christi: sed panem, ita vt hæc particula figura Corporis mei, non cadat super prædicatum, Corpus meum, sed supra subiectum, scilicet panem quem vocat figuram Corporis Christi.

Prætereà verba Christi possunt dici Sacramentalia tribus modis. 1. quia sunt figurata, & habent tantum sensum Metapho-

ricum, & sic falsum est. 2. quia habent aliquod mysterium reconditum, & hoc modo possunt dici Sacramentalia, 3. quia his verbis efficitur, & instituitur Sacramentum, & tunc propriissimè sunt Sacramentalia.

Verbum etiam manducandi debet accipi in sua propria significatione, quia quamuis Corpus Christi dentibus non atteratur, tamen ratione specierum verè traiicitur in stomachum, per organa oris & gutturis: nec putandum est solum Christum confecisse Corpus suum per hæc verba, *hoc est Corpus meum*, quia ipse est qui quotidie proffert verba, nam in persona Sacerdotis conficit, & consecrat vt aiunt D. Chrysostomus, Cyprianus, & D. Ambrosius. Vnde sicut ex quo tempore dixit Christus, baptisantes eos. Habent ministri eius vini sanctificandi, cum ipse sit qui principaliter Baptizat, ita ex quo ipsemet dixit, H*oc facite*. Sacerdotes habent vini efficiendi, quod ipse fecit.

Quando insuper Diuus Augustinus dicit Christum dedisse signum Corporis sui, hoc verum est, nam est signum plenum, & non vacuum, cum contineat verum Christi Corpus,

Corpus, inquantum est Sacramentum, quod dicitur sensibile.

D. Gregorius Nazienzenus, loquendo de hoc Sacramento, vtitur hac voce Antitypa, quia est simul veritas & imago Christi existentis, in propria specie, & pro nobis passi: species etiam dici possunt, Antitypa, quia representant Corpus Christi quod continent.

De vsu, & sumptione Sacramenti.

SECTIO XXXII.

DVo sunt hîc notanda, primùm; Corpus Christi non est tantum in vsu, vt voluit Bucerus hereticus, Sed etiã remanet finita consecratione. Secunda. Vsus & sumptio Sacramenti non est Sacramentum. Quantum ad primum Christus non dixit. *Hoc est corpus meum*, nec dixit, si sumatur sed absolutè. *Hoc est Corpus meum*, quæ verba tam efficatia sunt, vt efficiant quod signant. Deinde Christus non dedit virtutem vsui sed verbis. 3. quia natura cibi est, vt sit res permanens

& sit priùs quam comedatur. 4. quia quamuis Sacramentum sit propter vsum, non est tamen ipse vsus, sed materia, qua vtendum est.

Vnde non est tantum institutum vt eo vtamur, sed vt in sacrificium offeratur, & ita priusquam sumatur, debet esse presens vt offeratur. Adde quod ex praxi Ecclesiæ, proponitur Sacramentum adorandum priusquam distribuatur fidelibus.

Tandiù etiam conseruatur Corpus Christi, quandiù permanent species disposita ad conseruationem propriæ substantiæ. Vnde Clemens Papa, Epist. 1. ad Iacobũ fratrem Domini· Postquam, inquit, omnes sumpserunt accipiunt Diaconi reliquias, & portant in Pastophoria, id est thalamum, animarum nostrarum collocatur.

Decebat enim vt Ecclesia Christi haberet sponsum suum sicut presentem, non tantum in figura, vt olim synagoga: non apertè & clarè vt beati, sed occulte, verè tamen & realiter, non tantum ad consolationem fidelium, ad cultum & adorationem, sed etiam ad subueniendum infirmis, ne in extremo periculo priuaretur viatico.

Ergo his verbis, *hoc eſt Corpus meum*, habent firmam & ſtabilem veritatem, & tandiù exiſtimamus ſpecies continere Corpus Chriſti, quamdiù potuiſſet durare immutatio panis.

Quantum ad ſecundum, certiſſimum eſt vſum & ſumptionem non eſſe Sacramentum nec partem Sacramenti, quia per conſecrationem conficitur Euchariſtia. Sed conſecratio perfecta eſt ante vſum. Deinde Euchariſtia eſt cibus animarum continens Corpus Chriſti, quod non poteſt accommodari vſui & ſumptioni: quia Euchariſtia a ſolo Sacerdote conficitur, & tamen quoad vſum applicari poteſt, etiam à Diacono, & quia hic vſus preſupponit integritatem Sacramenti: & promiſſio gratiæ, non eſt per ſe facta ſumptioni, vt cauſæ eius per ſe, ſed ipſi Euchariſtiæ, id eſt Corpori Chriſti ſub ſpeciebus, iuxta illud, *qui manducat me viuet propter me.* Ergo Chriſtus ipſe eſt qui efficit per ſe gratiam, ſumptio vero eſt conditio tantum, ſine qua non. Vnde ipſa non eſt Sacramentum, ſed id quod ſumitur.

Et ita ſumptio eſt tantum applicatio Sacramenti, ſeu conditio neceſſaria vt Sacra-

mentum operetur, & vt habet Diuus Thomas vsus tantum pertinet ad perfectionem extrinsecam huius Sacramenti, sicut agere spectat ad perfectionem agentis, non sic autem de aliis Sacramentis, quia cum sint in fieri & in vsu, tantùm applicatio & vsus idem sunt.

Vnde Concilium Tridentinum sess. 13. c. 3. dicit hoc Sacramentum Eucharistiæ perfici ante vsum. Cætera verò tunc accipere vim sanctificandi cum illis vtuntur; ergo vis eorum est in vsu, & vsus eorum per se institutus est ad significandum & sanctificandum: & ita aqua Baptismalis nullam habet vim solitariè acceptam, sedcùm applicatur & infunditur cum verbis.

SECTIO XXXIII.

Vtrum Christus sit presens sub speciebus sine mutatione locali.

D. Thomas in 4. sent. d. 10. q. 8. dicit Corpus Christi fieri presens, non per motum localem quia ibi non datur, sed per conuersionem aut transubstantiationem: nam quod fit presens alicui loco per

motum localem, necessariò mutat locum quia amittit priorem locum. Vult ergo D. Thomas præsentialitatem inesse Corpori Christi, ex vi conuersionis substantiæ panis in Corpus Christi, seu conuersionem substantialem, esse causam formalem istius presentialis Christi: in Sacramento: & hoc negat Scotus. Vnde quæstione 2. distinctionis 10. art. 1. & 2. obseruat duplicem esse mutationem localem, deperditiuam & acquisitiuam, quarum vna absque contraditione sine altera fieri potest.

Mutatio deperditiua, est qua motum amittit illud vbi quod priùs habebat. Acquisitiua verò est qua motum acquirit quidem nouum vbi quod anteà non habebat, nec tamen deperdit ipsum quod habebat anteà, & ipsa mutatione, credit Corpus Christi in Sacramento: ibi enim acquirit nouum vbi non deperdendo locum quem habet in cœlo, quia licet Christus posset descendere ex aliqua speciali gratia. Regulariter tamen non ponitur fieri propter veritatem Eucharistiæ, secundum enim D. Augustinum donec finiatur sæculum sursum est Dominus.

Et si quæras ad quod genus pertinet hæc

mutatio. Respondet Scotus reduci ad mutationem localem, licet impropriè: & addit quod terminus acquisitus per illam, qui est presentia Christi ad species, reducitur ad predicamentum vbi, est enim præsentia ad locum.

Et si dicas non reperiri in prædicamento vbi, verum est secundum rationem, quàm Philosophi assignant de vbi. Reperiretur autẽ si rationes generum seu predicamẽtorum essent exactè & acutè assignatæ, & præsertim illorum sex vltimorum, de quibu Aristoteles satis leuiter tractauit.

Ergo dicendum est ipsum terminum scilicet præsentialitatem esse respectum extrinsecus aduenientem, & in genere vbi, licet satis improperiè, & talis præsentialitas fit per actionem consecrandi Hæc est germana opinio Scoti, ex qua patet quomodo sit possibile Corpus Christi fieri præsens de nouo speciebus Sacramentalibus, absque eo quod deperdat priorem locum quem habet in cœlis: & quomodo non est necesse quòd confugiamus ad conuersionem substantialem vt volunt Thomistæ.

Vbi notandum est breuiter pro faciliori intelligentia sententiæ Scoti. Deum esse causam effectiuam principalis huius muta-

tionis ad illam præsentialitatẽ. Verba autẽ consecrationis esse causam instrumentalẽ Sacramental. & ipsa mutatio acquisitiua est causa formalis talis præsentiæ.

Nec arbitrandum est cum quibusdam talem præsentialitatem corporis Christi in Eucharistia, esse modum substantialem corporis Christi: quia modus substantialis essendi inest intrinsecè substantiæ, & est inseparabilis ab illa, quãdiù tremanet substãtialiter immutata. Vnde nõ est intelligibile, vt aliqua substantia habeat de nouo modum essendi substantialem, & non mutetur substantialiter.

Præterea hæc præsentia est omnino accidentalis corpori Christi, quia est separabilis, & aduenit sinè vlla corruptione corporis Christi, vel mutatione substantiali in ipso: ergo non est modus substantialis corporis Christi sed accidentalis.

Vt autem fiat satis fundamento illorum. Dicendum est, quod licet corpus Christi fiat hic præsens per transubstantionem, tamen ipsa transubstantiatio, non est prima & immediata ratio huius præsentialitatis, sed est ipsa mutatio localis impropria.

Corpus autem Christi non acquirit ali-

quid substantiale per istam mutationem substantialem nec gerit vicem substantiæ panis:ideo neque acquirit modum essendi substantialem nouum. Sed solùm nouam præsentiam,quæ est accidens,scilicet relationem extrinsecus aduenientem.

De existentia corporis Christi in Sacramento cum sua quantitate.

SECTIO XXXIV.

SCotus qu. 2. artic. 2. asserit duo esse in quantitate,scilicet ordinem partium in toto, idest, extentionē partis extra partē in ipso toto, ita quod caput sit extra manus, & manus extra pedes, & iste ordo dicitur positio de prædicamento quantitatis, & hoc est habere esse quantitatiuum: ista autem positio, sine ordo partium in toto, est inseparabilis à quātitate quia est de essentia eius. Vnde talis ordo videtur esse de intrinseca ratione quanti continui: quantum enim continens est cuius partes copulātur adinuicem,& ad terminū communem,cuius species,sunt linea, superficies,Corpus. Corpus verò includit longitudinem, &

profunditatem. Ergo non eſt intelligibile Corpus eſſe Corpus, & non habere hanc extentionem partis extra partem in ordine ad totum.

Aliud quod aſſignat Scotus, eſt ordo partiũ ad locum ideſt coextentio, & commenſuratio partiũ ad locum: ita quod vna pars quanti ſit in vna parte loci, & alia pars in alia parte: & iſte ordo eſt poſitio de prædicamento ſitus, dicens modum quantitatiuum, & eſt ſeparabilis à quantitate: nam corpus reſpicit contingẽter quemcumque locum & ſitum.

Notandum eſt autem vbi ſolùm dicere præſentiam corporis ad locum, quæ eſt relatio extrinſecus adueniens ſeparabilis à corpore quia Deus poteſt creare aliquod corpus extra vniuerſum, & tunc eſſet ſine loco & ſine vbi. Poſitio verò de prædicamento ſitus, ſuperaddit aliam relationem ſuper vbi, ſcilicet modum eſſendi in loco, quod eſt habere partem in parte & coextẽdere ad partes loci. Vnde ſicut Deus poteſt conſeruare corpus ſine relatione extrinſecus adueniente quæ dicitur vbi: Sic poteſt facere corpus in aliquo loco, ſine alia relatione extrinſecus adueniente quæ

est situs partiũ corporis in partibus loci vel absque eo quod corpus coextendatur partibus loci.

Ex his patet quomodo corpus Christi quantum, possit esse simul cum altero quãto, scilicet cum quantitate hostiæ: talis autem coexistentia vtriusque non infert commensurationem: sed ex ipsa coexistentia. Consurgit alia relatio extrinsecus adueniens quæ dicitur inæqualitas, quia corpus Christi est maius quantum quàm hostia. Vnde non est impossibile vt duo corpora sint simul, quorum vnũ sit quantum & habeat modum quantitatiuũ (vt est hostia) & alterum sit quantum non habens illũ modum quantitatiuũ. Vt est corpus Christi sub speciebus.

Notandum est præterea dimensiones corpori, non esse oppositas formaliter, quia oppositio seu repugnantia formalis est tantũ in genere qualitatis: quæ autem sunt in genere quantitatis non sunt actiua : sed sunt tantum virtualiter, & respectu loci: quia effectus dimensionis alterius in eodem loco, scilicet vt repleat locum adæquatum sibi: illa autem repletio impedit ne alia dimensio repleat eundem locum.

Ex quo deducitur quod replere locum non est effectus formalis quantitatis: sed effectus proueniens à quantitate efficienter tantùm, non formaliter; & per consequens Deus potest illũ separare à quãtitate: quia ipse potest separare à causis naturalibus suos effectus qui proueniunt ab eis efficienter, vt patet in illis tribus pueris in fornace regis Nabucodonosor. Cum autem positio de prædicamento quantitatis sit affectus formalis, ideò Deus non potest eam seperare à quantitate sicut nec hominem ab anima rationali, album ab albedine.

Et hoc modo tenemus Christum natum esse de Maria Virgine, & remansisse integra claustra Virginitatis: nam in illo instanti partes corporis Christi fuerunt simul cũ partibus illius corporis claustri Virginis: ergo tunc fuerunt simul duo corpora. Idem dicendum est de corpore Christi egresso extra sepulchrum in die resurrectionis, &c. Ecce quomodo duo corpora sunt simul absque eo quod confugiamus ad illam fictionem Ocham lib. 4. q. 4 in tractatu de Eucharistia capite vigesimo nono, & aliorum, scilicet quod ista corpora subintrent se inuicem quasi per poros, ita vt vna pars

ſit in alia, vt oculus in pede, caput in ventre, &c. Quia illa ſubintratio tollit organizationem corporis ſine qua non eſt corpus humanum nec aptum informari ab anima.

De conuenientia & differentia præſentiæ naturalis & Sacramentalis Chriſti.

SECTIO XXXV.

VTraque præſentia conueniunt in hoc, quod quælibet ſit relatio extrinſecus adueniens corpori Chriſti, & poſſit eſſe terminus motus localis propriè vel impropriè dicti. Præſentia .n. naturalis eſt terminus intrinſecus motus localis. Sacramẽtalis vero, eſt terminus tranſubſtantiationis, quæ eſt mutatio impropriè dicta, adde quod vtraque facit corpus propinquum & non diſtans à loco.

Differunt autem in multis primo quia præſentia naturalis corporis habet duplicem poſitionem ſcilicet de prædicamento quantitatis, quæ eſt ordo partiũ in toto; & poſitionem de prædicamento ſitus quæ eſt ordo partium ad partes loci: præſentia

verò Sacramentalis habet tantùm positionem de prædicamento quantitatis.

Vnde corpus existens naturaliter in loco habet duplicem extentionem in ordine ad se, & in ordine ad locum, & est diuisibile ex parte subiecti, & ex parte spacij : primo ex parte subiecti: quia quælibet pars corporis habet suam pręsentiam partialem, vt manus habet suam & caput suam, & sic de alijs.

2. Ex parte spatij quia in vna parte spatij fundatur præsentia manus, in alia præsentia capitis, &c. Ex quibus integratur vna præsentia totalis corporis ad locum & spatium.

Præsentia verò Sacramentalis solùm est diuisibilis ex parte subiecti, non autem ex parte spatij: quia potest esse præsens minimæ particulæ hostiæ, cui est præsens sicut integræ hostię: quia ista pręsentia Sacramentalis nõ importat extentionẽ partium corporis ad partes loci, licet ergo possit assignari diuisibilitas ex parte spatij, quia corpus Christi est præsens huic, & illi parti hostię, hoc tamen non requiritur necessario, quia potest esse præsens minimæ particulæ.

3. Differunt quia præsentia naturalis facit vt corpus existens in loco repleat locum, & expellat corpus naturaliter ibi præexistens. Præsentia verò Sacramentalis facit vt corpus non expellat præexistens corpus: corpus enim Christi succedit loco substantię panis, & vini relinquens quantitatem panis & vini, cum suamet quantitate quæ replet locum sicut prius.

Præsentia insuper Sacramentalis in hoc similis est præsentiæ Angelorum, quod vtraque est sine occupatione & repletione loci. Et dissimilis est ex parte subiecti: quia Angelus intrinsecè est diuisibilis, & sua præsentia est mera spiritualis. Pręsentia verò Corporis Christi in Sacramento est materialis & diuisibilis ex subiecto.

Præterea duplex est distantia, prima est quantitatiua, quæ sequitur ex intrinseca extentione quantitatis, & per illam partes corporis Christi non æquè distant inter se; nam magis distat pes à capite quam collũ: cum collum immediatè illi copulletur non verò pes.

2. Est localis seu situalis qua partes corporis actu occupant partes loci & spatij distantes, & per illam partes corporis Chri-

sti æqualiter distant, quia omnes sunt indiuisibiliter præsentes eidem spatio: iuxta id quod dicit D. Hilarius: scilicet vbi est pars ibi est totum.

Vnde sequitur corpus Christi non habere differentias positionis in Sacramento in ordine ad locum, scilicet caput sursum, & pedes deorsum: & ita quocumque vertatur hostia non est corpus Christi supinũ vel resupinum: licet tamen habeat illas differentias in ordine ad seipsum.

Motus localis non potest reperiri in corpore Christi, vt est in Eucharistia, quia motus localis proprie dictus dicit ordinem ad locum. Corpus autem Christi non habet talem ordinem.

Non est etiam inconueniens esse infinitas præsentias potentiales vnde corpus Christi habet in Sacramento vnicam præsentiam diffusam per totum spatium quod suscipiunt species Sacramentales, & cum hoc stat Corpus Christi posse esse præsens omnibus alijs partibus hostiæ totaliter, & integrè & de facto fieret præsens si hostia diuideretur in illis.

De vnione corporis Christi cum accidentibus.

SECTIO XXXVI.

Certissimum est nullam esse vnionem Physicam & naturalem inter corpus Christi & species quia vnũ non se habet vt actus, & aliud vt potentia cum ex ipsis non fiat vnum per se: nam ex substantia & accidẽte non potest fieri vnum compositum per se; species autem sunt accidentia, & corpus Christi substantia ergo.

Non potest etiam fieri vnum per accidens, quia componentia in composito accidentali aliquo modo se afficiunt; quia forma accidentalis dat esse accidentale subiecto, vt albedo facit parietem album, subiectum etiam dat illi formæ esse per modum subiecti: at nullum horum reperitur in hoc Sacramento, quia species non dant esse accidentale corporis Christi quia non est quantum quantitate panis nec album albedine panis.

Accidentia etiam non accipiunt esse essentiæ à corpore Christi quia essentia accidentis

dentis est absoluta per se manens: neque habent existentiam à corpore Christi, quia ipsi non inhærent. accidentis enim esse est inhærere: neque corpus Christi dat illis accidentibus existentiam, alias esset vnio hypostatica, sicut Verbum dat subsistentiam naturæ humanæ, & accidentia non existerent per se sine subiecto, ergo nulla datur vnio realis & physica, inter species & corpus Christi. Nec valet etiam opinio Suarez tom.3. disp.47. sect.3. qua tenet esse vinculum seu vnionem per efficientiam inter corpus Christi, & species, & quasi attractionẽ vnius ad alterũ, Scilicet, quod corpus Christi sustentet illas species tanquam instrumentum Dei, & illæ species attrahant corpus Christi tanquam instrumentum Dei.

Ista opinio non probatur, quia multiplicat entia & miracula sine necessitate in hoc mysterio, quod, secundùm omnes Theologos debet vitari in rebus fidei; & Philosophi in rebus naturalibus habent illud axioma Arist. 1. Physicorum tex. 50. *Non sunt multiplicanda entia sine necessitate.*

Adde quod si corpus Christi vel illa accidẽtia haberent hos effectus supernaturales, substare videlicet & attrahere, hoc ha-

berent ex virtute sibi impressa à Deo, & hæc virtus mutaret naturam & conditionem corporis Christi, & illorum accidentium; quod non est asserendum; quia accidentia & corpus Christi debent relinqui in suo esse naturali quantum est possibile.

Ergo tutior est opinio Scoti quæ elicitur ex his quæ habet in 4. d. 10. q. 6. concl. 4. scilicet quod Deus ipse sua virtute immediate ex pacto diuino, substentificat illas species, & facit corpus Christi esse præsens sub illis speciebus, sine vlla vnione formali, vel effectiua intrinseca, & seclusa omni inherentia, & necessitate ac vinculo naturali.

Quando autem D. Augustinus dicit sacrificium Ecclesiæ duobus constare, visibili elemento specie, & inuisibili Domini nostri carne, & sanguine: & refertur dist. de consecrat. can. *hoc est*: non vult dicere ex Sacramento & re Sacramenti fieri vnum vnitate Physica, & reali, sed vnum per accidens: nam Sacramentum est vnum ens artificiale quia est aggregatum quoddam ex pluribus entibus per se, & sic est vnum per accidens tantum.

Vnde cum opinione Scoti, possunt optime stare locutiones patrum de hoc Sacramento: nam cum primo dicitur Corpus Christi gerere vices substantię panis & vini. Non est quod corpus Christi debeat vniri accidentib. sicut faciebat substantia panis, quia hic esset inhærentia: sed quod debeat esse præsens speciebus, & illis tegi, sicut tegebatur substantia panis, quod saluari potest per simplicem præsentiam sine aliqua causalitate.

2. Species Sacramentales possunt etiam dici instrumentum coniunctum corporis Christi, scilicet manducationis & viuificationis spiritualis, quæ fit per Sacramẽtum: vnde ad sumptionem illarum specierum corpus Christi sumitur à nobis: & ratione, etiam talis intimæ præsentiæ species dicũtur continere corpus Christi: & corruptis speciebus, dicitur etiam desinere ibi corpus Christi.

Quia Deus decreuit corpus Christi ibi tandiu esse præsens quandiu species manserint integræ & incorruptæ: & hoc vinculum extrinsecum sufficit; vnde non cessat causa attrahens vt vult Suarez: sed causa efficiens illam præsentiam, cessat operari &

efficere illam præsentiam.

De modo essendi corporis Christi in loco.

SECTIO XXXVII.

CErtissimum est corpus Christi non esse in Sacramento circumscriptiuè, quia licet sit quantum quantitate intrinseca, nō tamen ibi est modo quantitatiuo, & quantitate extrinseca vt vidimus supra; nec etiam ibi est propriè definitiuè, vt habet Scotus: quia quod est in loco definitiuè, sic est in vno loco vt non sit simul in alio; vnde creaturæ distinguuntur à Deo in hoc, quia Deus est vbique, creaturæ verò sunt in loco determinato & limitato, & ita definitiuè. Corpus ergo Christi non sic est in loco quia dum est in hostia, est etiam in alijs hostiis & in cœlo. Vel dicendum est illam præsentiam corporis Christi esse in loco definitiuè, posse sumi duobus modis: primò quod ipsa requirat limitationem secundum suam rationem intrinsecam, & à loco definitionem certam, & hoc modo non potest dici esse in loco definitiuè quia

corpus Christi potest esse in magna hostia & quantumcunque parua.

2. Quod sit sub certa quantitate & non extra illam, quomodo Angelus secundum substantiam est in loco determinato: & sic non est incōueniens, immo necessarium corpus Christi esse in loco definitiuè; quia tantum est sub quantitate hostiæ, & non alibi, vt in aëre ambienti.

Cum autem esse in loco definitiuè sit finiri, & limitari ad esse in loco determinato, optime sequitur quod esse in loco circūscriptiuè sit esse etiam in loco definitiue, & esse in loco circumscriptiuè tantum addit super esse in loco, definitiue, vt non solum totum sit in toto loco, sed etiam pars in parte loci. Ergo tantum addit situm, & ordinem partium locati ad locum, vnde præsentia Sacramentalis est etiam terminata & limitata.

De existentia corporis in pluribus locis modo quantitatiuo & naturali.

SECTIO XXXVIII.

Scotus in 4. sent. dist. 10 q. 2. Totis viribus nititur probare vnum corpus per diuinam potentiam posse esse in pluribus locis modo naturali & quantitatiuo: eius autem fundamẽtum principale & à priori est, quia secundum omnes Theologos & Philosophos, esse in loco nihil aliud est, nisi respectus extrinsecus aduenicns, qui ponitur in prædicamento vbi, vt vidimus supra: stante autem hoc fundamento.

Miratur Scotus, grauissimos Theologos hac in re derelinquere rationem & sequi sensum & imaginationem: vnde quia imaginatio non separat locum à corpore nec è conuerso, nec percipit vnum plurificari sine alio, dicunt esse, impossibile vnum sine alio plurificari.

Probat autem hoc esse possibile Scotus hac efficacissima ratione. Deus potest to-

tum illud quod non implicat cõtradictionem euidenter, & ad quod non sequitur contradictio, sed quod corpus sit in pluribus locis naturaliter, non includit contradictionem: nec ad illud sequitur contradictio. Ergo, Minor probatur quia respectus intrinsecus aduenientes possunt multiplicari in eodem subiecto; nam eadem albedo potest fundare duas vel plures similitudines ad diuersa alba.

Deinde ad multiplicationem posterioris non est necesse multiplicari prius, sed vbi sunt posteriora: corpus est prius, & ipsa vbi sunt accidẽtalia, & contingẽter aduenientia ipsi corpori: non est autem impossibile, vt accidentia multiplicentur non multiplicato subiecto, & substantia cui insunt: ergo plura vbi, possũt fũdari in eodẽ subiecto

Scotus aducit tres propositiones quibus bene intellectis possunt solui omnes difficultates quæ possunt fieri contra ipsum, quarũ prima hæc est. Quæ sunt priora essentialiter ipso vbi, insunt eidem corpori vniformiter, etiam si corpus existat in diuersis locis, nec variabuntur ad varietatem ipsorum vbi. Quæ verò sunt posteriora ipso vbi, vel simul natura sunt cùm illo, variã-

tur ad variationem vbi, & sic soluũtur istæ difficultates, scilicet quod si Petrus sedeat Lutetiæ, sit necesse quod sedeat Romæ: sed potest sedere Lutetię, & currere Romæ: quia non est necesse vt ista, scilicet iacere, stare, mouere, quiescere, percuti & alia huius generis accidentia insint eidem corpori in quocunque loco sit: quæ hæc accidentia sequuntur ipsum vbi, ideo ad variationem locorum possunt variari.

Formę verò, absolutæ tã intrinsecæ & essentiales, quàm extrinsecæ & accidentales quæ præcedunt ipsum vbi, eædem sunt in eodem corpore in quocumque loco sit; quia antecedunt vbi, & ideo ad variationem locorum non variantur: & sic non potest Petrus calefieri Lutetiæ, quin calefiat etiam Romę: quia se habet eodem modo in istis duobus locis ac si esset in vno & eodem loco.

Quod si ignis approximetur Petro Lutetiæ, & frigus eidem Romæ, agens fortius superabit aliud, & introducet suam formam, alio nihil efficiente: & si sint æqualis virtutis, vel neutrum aliquid aget vel agent ambo ad mediam qualitatem, vt ad tepiditatem: sic dicendum est de fame,

& ſaturitate, quia ſunt aliquid abſolutum, abſolutum autem non variatur ad variationem loci qui eſt reſpectus.

Vnde ſi Petrus eſuriat aut ſaturetur Lutetiæ, etiam eſuriet & ſaturabitur Romæ, idem dicēdum de temperie aëris vnius loci potentiori, & vincente temperiem minus potentem alterius loci.

Idem etiam dicendum eſt de vita, & morte: quia vtrumque eſt abſolutum, licet vnum ſit poſitiuum, & aliud priuatiuū. Vnde ſi Petrus moriatur Lutetiæ, morietur quoque Romæ: non tamen ſequitur vulneratur, Romæ ergo vulneratur Lutetiæ, quia vulneratio dicit diuiſionem continui factam ab aliquo agente diuidente hoc loco: vulneratio ergo eſt motus localis, & conſequitur locum.; vulnus tamen ſi recipiatur Romæ, recipietur etiam Lutetiæ quia eſt aliquid abſolutum.

Vnde ſecunda propoſitio Scoti eſt, quod paſſum exiſtens in pluribus locis eodem modo ſe habet reſpectu formarum abſolutarum quas recipit ab agentibus extrinſecis, quo ſe haberet ſi exiſtens in eodem loco pateretur ab eiſdem agentibus.

3. Corpus exiſtens in pluribus locis ſe ha-

bet in ratione actiui, ad diuersa passa sibi approximata: sicut se haberet si esset in vno vbi, vt si Petrus recipiat caliditatẽ Romæ recipiet etiam illam Lutetiæ licet actio calefaciendi non sit Lutetiæ: cũ ignis, sit tantũ Romę quia illa actio est relatio:cõsequens vbi, ideo variatur ad variationem vbi.

Tenet etiam Scotus quod sicut duo corpora possunt esse in eodem loco, ita vnum corpus potest esse in pluribus locis; & ratio est quia potest multiplicari posterius absque multiplicatione prioris.

Si dicas, sequeretur quod idem corpus esset circumscriptum, & non circumscriptum. Respondetur quod sic esset, non ratione eiusdem loci, sed ratione diuersorũ locorum: & sic tollitur contradictio: quia non est respectu eiusdem loci esse circumscriptum & non circumscriptum, & hoc non est inconueniens: quia illud limitari loco, est relatio extrinsecus aduenies & quid posterius: quod potest multiplicari non multiplicato corpore.

Si dicas, corpus existens in diuersis locis distat à seipso: ergo multiplicatur. Respon-

deo ipſum diſtare à ſeipſo non ſecundum idem, ideſt abſolutè, & quatenus eſt corpus vel ſubiectum tale: ſed ratione diuerſorum locorum, & diſtinctarum præſentiarum, vnde erit propinqum ſibi ſuperius vel inferius, ſecundum illa diuerſa vbi.

Præterea quando dicitur, duo vbi eſſe incompoſſibilia eidem corpori: verum eſt reſpectu agentis naturalis non vero reſpectu agentis ſupernaturalis: & hoc non eſt inconueniens. Nam quod virgo manens virgo pariat, eſt incompoſſibile virtuti creatæ non diuinæ.

Tenet item Scotus quod ſicut vnũ corpus poteſt moueri ad diuerſa vbi: ita poteſt moueri ad illud vbi in quo quieſcit, & cum peruenerit ad illud, expellet ſeipſum de illo vbi, ſicut expelleret aliud corpus cùm moueretur ad diuerſa vbi, in quibus alia corpora præexiſtebant: quia variatio illorum vbi, vel multitudo, nihil facit ad variationem abſolutorum cum talis multitudo, & talia vbi ſint relationes.

Addit etiam non eſſe inconueniẽs quod idẽ homo appareat in diuerſis locis, & efficiat diuerſos motus, & actus: & ſic faciat diuerſos ſaltus in correa, & faciat exercitũ

copiosum: ille tamen exercitus non plus habebit vires quàm vnus homo; quia virtus actiua in illo homine non multiplicatur nisi ad multiplicationem absolutorum: similiter vnus homo poterit tacere in vno vbi, & in alio canere, & diuersas voces emittere, scilicet in vno vbi, tenorem, & in alio acutum.

Si dicas, ergo tacebit, & non tacebit, mouebitur, & non mouebitur quæ sunt contradictoria: negat Scotus, quia non sunt respectu vnius & eiusdem vbi sed diuersorum: quamuis Deus possit facere vt vnum corpus sit in multis locis, etiam vbique, non tamen erit immensum, quia de ratione immensitatis est quod immensum necessario impleat omne vbi: ita quod sit impossibile dari aliquod vbi in quo non sit per essentiam, præsentiam, & potentiam: & talis immensitas requirit infinitatem quæ non est communicabilis creaturæ; deinde si quæ posset dari immensitas in creatura non ei competeret immutabiliter, quia id tantùm conuenit sanctissimæ Trinitati.

De termino Transubstantiationis.

Sectio XXXIX.

SCotus dist. 11. q. 3. art. 2. in fine considerat corpus Christi duobus modis. primò strictè, quatenus tantũ includit partes animatas per animam rationalem. Secundo, large prout includit partes animatas, & omnia illa quæ pertinent ad totum corpus organicum, siue sint partes animatæ, siue inanimatæ, vt sunt sanguis, humores spiritus.

Partes corporis secundo modo sumpti scilicet anima, & accidentia non sunt partes corporis, primo modo sumpti, & vt corpus est; quia corpus est perfectibile per ipsam animam, ergo anima præsupponit ipsum corpus in esse perfecto corporis. Vnde dat illi esse viuens, & animatum, non autem esse corporeum, ergo illud corpus perfectibile ab anima, habet tantùm materiam primam, & formam mixti quæ dicitur forma corporeitatis pro partibus ipsum substantialiter componentibus.

His suppositis Scotus tenet corpus stri-

ctè sumptum, prout tantùm includit materiam primam, & formam corporeitatis, esse primum etiam per se terminum transubstantiationis, & illud est quod continetur sub speciebus panis, ex vi verborũ. Probatur, &c.

Primò, hoc non includit contradictionem, quia quodlibet corpus aliud à Christo potest esse sine anima, & accidentibus. Ergo non implicat corpus Christi consecrari sine ipsis.

Secundò, hoc fuit congruum, quia species panis repreſentant alimentum, ergo debent continere illam substantiam, quæ est nutritiua cuiusmodi non sunt accidentia, neque anima cum sit principium quo corpus nutritur.

Tertiò, de facto, quia si in triduo, aliquis consecrasset fuisset ibi vera res Eucharistiæ & tamen non adfuisset anima : ex hac ratione, sequitur etiam corpus Christi non necessariò includere sanguinem: quia non est animatus formaliter : & quia etiam distinguitur essentialiter à corpore sumpto pro materia, & forma corporeitatis; & hoc non est solùm verum de possibili sed etiam de facto; quia si totus sanguis fuisset sepa-

ratus à corpore Christi in morte, & tunc aliquis consecrasset, fuisset verùm Sacramentum: & tamen corpus fuisset, sine sanguine, ergo corpus Christi, vt componitur ex materia, & forma corporeitatis, est primum signatum Eucharistiæ, & primum contentum: vnde Sacramentum Eucharistiæ dicitur, vnum vnitate integritatis; non vnitate indiuisibilitatis: quia corpus Christi habet suum signum scilicet panem: & sanguis habet etiam suum, scilicet vinum.

Probat etiam Scotus contra Thomistas tenentes animam rationalem Christi esse terminum formalem conuersionis substantialis, & ex vi verborum esse præsentem sub his speciebus, quatenus sufficiens est ad constituendum corpus organicum: probat inquam hoc non esse, hac efficacissima ratione.

Si hostia consecrata à Christo in vltima cœna fuisset conseruata in pixide, in triduo mortis suæ sanè permensisset res in eadem hostia, quæ primo ex vi verborum continebatur sub illa, & in quod fiebat, primo, & per se conuersio. Ergo permansisset illa forma corporis Christi quæ constituebat

corpus Christi, vt erat terminus huius conuersionis: & in triduo, non permansisset anima rationalis in corpore Christi: cum ab eo fuerit realiter separata: ergo ipsa anima, vel corpus habens esse per animam intellectiuam, non est terminus formalis per se primus huius conuersionis, & ex vi verborum inductus. Ex his facile colligitur ea quæ sunt in Sacramento Eucharistiæ, vi verborum, & per concomitantiã. Vi verborum, ibi adest primo, & per se corpus Christi vt comprehendit solum materiam primam, & formam corporeitatis, siue mixti distinctam ab anima rationali.

Per concomitantiam vero ibi adsunt sanguis, humores, spiritus, accidentia, anima, & diuinitas, quia hæc omnia inerant corpori Christi existenti in rerum natura modo naturali: & modo insunt existẽti in cœlo. Vnde debet esse in Sacramẽto, quale se habuit. Ex his etiam constat, hanc distinctionem ex vi verborum, & per concomitantiam esse verissimam, quam nequissimus Lutherus referente Ruardo artic. 12. irrisit; quia licet sit communis omnium Theologorum Scolasticorum in

hoc-

hoc 4. dist. 10. & alibi, eam acceptat Concilium Tridentinum sess. 13. c. 3. & ratio facta nunc à Scoto conuincit illam esse de facto admittendam.

Nam si fuisset consecrata Eucharistia in triduo, fuissent vera illa verba. *Hoc est corpus meum*, & tamen non ibi fuisset nec anima nec sanguis: ergo ex vi verborum corpus Christi non importat animam & sanguinem, & alia quæ tunc non adfuerunt. Aliàs ista propositio tunc fuisset falsa. *Hoc est corpus meum.*

Constat etiam accidentia esse in Sacramento per concomitantiam: quia corpus illud compositum ex materia, & forma corporeitatis, potest esse sine quocumque accidente: ergo non sunt per se primò terminus formalis conuersionis, neque ex vi verborum: confirmatur sic; quia si ex vi verborum ibi adessent, talis conuersio non diceretur propriè transubstantiatio; sed transaccidentatio. Vnde transubstantiatio terminatur ad terminũ per se primum, non verò ad terminum concomitantem.

Et licèt corpus Christi in Sacramento sit organicum & quantum, tamen non est per se terminus formalis primus huius con-

uersionis, sed solum quatenus est tale corpus mixtum & organicum, est substantia corporea, cui postea sicut adueniunt accidentia naturaliter, sic consequenter accidētia ista insunt per concomitantiam.

Vnde sicut quantitas non est de ratione intrinseca substantiæ corporis, ita non est per se terminus conuersionis, sed concomitans: & sicut illa accidentia resultant in corpore secundum esse naturale, ita in Sacramento resultant, ex præsentia substantiæ corporis: & hæc est actio per quàm accidentia sunt in Sacramento.

Quantum autem ad ipsam diuinitatem, de fide est eam esse etiam in Sacramento: Vt optime definit Concilium Tridentinū. sess. 13. can. 1. & ratio est, quia diuinitas est in Sacramento sicut verbum in Sacramento: Verbum autem vnitum est hypostaticæ naturæ humanæ, quia quod semel assūpsit numquam dimisit: & cum ibi adsit diuinitas per concomitantiam: ibi etiam adsunt Pater, & Spiritus Sanctus, eo modo quo vna persona est in alia: scilicet per circūincessionem; & sic intelligendus est Christus Dominus, super ipsa verba, vt apposite explicat D. Hilarius: Ego sum in pa-

tre, & pater in me est (scilicet per circumincessionem.) Vos in me (scilicet per incarnationem,) & ego in vobis (scilicet per Eucharistiæ susceptionem.)

Vtrum existentia Sacramentalis necessario inferat existentiam naturalem.

SECTIO XL.

Scotus 4. qu. Tenet existentiam seu præsentiam naturalem nullo modo dependere à Sacramentali, & posse esse sine illa; quia ante institutionem Eucharistiæ Corpus Christi habebat tantum præsentiam naturalem, quod fiet etiam post resurrectionem: quia tunc Sacramenta desinent esse, & corpus Christi tantum habebit esse naturale.

Quantum etiam ad existentiam Sacramentalem, non dependet à naturali: quia non est de eius essentia, nec est eius causa: quod non sit de essentia probatur, quia si hoc esset, existentia Sacramentalis includeret existentiam naturalem, & sic corpus Christi haberet modum quantitatiuum, & extensiuũ in Sacramento, quod est falsum.

Deinde non est etiam causa, quia Deus est causa immediata existentiæ corporis Christi in Sacramento.

Vnde tenet Scotus corpus Christi esse indifferens ad existere modo naturali: & modo Sacramentali: quia præsentia corporis ad locum in communi, siue naturalis, siue Sacramentalis est accidens, scilicet relatio extrinsecùs aduenìens, & ponitur in prædicamento vbi.

Vbi, enim est præsentia localis ad locum quæ postea diuiditur in naturalem & Sacramentalem, hoc est extensiuam, & non extensiuam licèt Philosophi non agnouerint Sacramentalem.

Præsentia autem naturalis corporis ad locum, est accidens commune separabile, & extrinsecum ipsi corpori, quia posset Deus facere vnum corpus extra omnē locum actu, & tunc esset corpus & nullam præsentiam naturalem, neque extensiuam & Sacramentalem haberet. Haberet quidem aptitudinem ad esse in loco modo naturali sed non haberet actum, ergo falsum est id quod aiunt Thomistę, præsertim Caietanus 3. p. q. 76. scilicet quod præsentia naturalis est de essentia corporis, & cor-

pus ita est determinatũ, ad modum essendi naturalem, sicut est determinatum ad seipsum.

Sed in hoc fortè decipitur Caietanus, scilicet quod confundat existentiam absolutam Christi cum existentia siue præsentia naturali eiusdem: putat enim Scotum asserere corpus Christi posse existere in Sacramento, corpore Christi destructo absolutè in seipso, quod minimè somniauit Scotus: nam quod nihil est in se, nullibi potest esse.

Sed Scotus dicit tantùm præsentiam Sacramentalem posse esse sine præsentia naturali in corpore Christi: quia corpus Christi habens esse simpliciter, potest existere vno vel altero modo indifferenter, vt patet, exemplo adducto: scilicet si Deus crearet corpus extra vniuersum, tunc non haberet præsentiam nec naturalem nec Sacramentalem, & esset indifferens ad vtramque.

Concedit etiam Scotus Sacramentum Eucharistiæ includere relationem signi, & illam non posse esse sine suo termino & fũdamento: quod quidem fundamentum & terminus est corpus Christi existens non quidem modo naturali, sed Sacramentali,

ergo existentia Sacramentalis est fundamētum & terminus relationis Eucharistiæ.

De possibilitate Eucharistiæ ante Incarnationem, & post illam peractam.

Sectio XLI.

Tenet Scotus, quod sicut Eucharistia potuit esse ante Incarnationem, sicut nunc est: ita posset esse Eucharistia, sicut est: etiam si corpus Christi desineret esse, sub modo naturali, quia existentia naturalis non pendet ab existentia Sacramentali nec è contra; ergo potuit prius existere corpus Christi in Sacramento modo Sacramentali, quàm existeret modo naturali.

Similiter presentia Sacramentalis potest esse post Incarnationem sine præsentia, aut existētia naturali: quia destructa existentia sub modo naturali, destruitur sub modo Sacramentali. Vnde non est necesse, quod si corpus Christi incipiat esse in Sacramento incipiat etiam esse sub modo naturali; & ita potuit corpus Christi fieri sub Sacramēto, antequam fieret ex Virgine: quia supponit Scotus tam habere esse verum & reale

in Sacramento, quàm ſub modo naturali. Vnde ſoiũ differũt in hoc quod quãdiu eſt ſub modo naturali habet modum exiſtendi extenſiuum: non extenſiuum vero cùm eſt ſub Sacramento: modus enim exiſtendi eſt quid accidentale extrinſecum, quod non variat eſſentiam corporis Chriſti.

Notat etiam Scotus non eſſe idem, eſſe in ſeipſo, & eſſe modo naturali; quia eſſe in ſeipſo, eſt habere exiſtentiam realem, & veram quæ eſt indifferens ad eſſe, ſub modo naturali, & modo Sacramentali: vt patet de corpore extra vniuerſum ſi daretur: Vnde ſequitur quod ſi corpus Chriſti prius haberet eſſe, modo Sacramentali, quam modo naturali: haberet etiam illud eſſe abſolutum, & in ſeipſo: quia exiſtentia ſub modo Sacramentali eſt realis.

Vnde ſi primo inciperet eſſe ſub modo Sacramentali, inciperet quoque eſſe in ſeipſo: cùm modus Sacramentalis fundetur in illo eſſe abſoluto, & tamen non eſſet neceſſe, vt corpus Chriſti inciperet eſſe ſub modo naturali.

Et eadem ratione, ſi corpus Chriſti nunc deſineret eſſe ſub modo naturali, non eſſet neceſse vt deſineret eſse ſubmodo Sacramentali.

Pari modo si prius fuisset instituta Eucharistia, & deinde formatum fuisset corpus Christi ex Virgine sub modo naturali, illud idem corpus Christi non reciperet esse simpliciter quia iam habebat esse verum & reale per consecrationem, sed reciperet esse secũdũ quid, scilicet sub modo naturali

Sequitur etiam ex dictis: quod desitio sub modo naturali, tunc non esset desitio simpliciter, sed solum secundum quid: quia corpus Christi non desineret tunc absolutè, sed solùm secundum modum naturalem essendi.

Si inferas, ergo posset corpus Christi corrumpi, & mori in cœlo, seu sub modo naturali, & tamen viuere & manere sub Sacramentali modo.

Respondetur quod præsentia naturalis, & Sacramentalis sunt respectus extrinsecus aduenientes, sequentes locum: & ideo variari possunt sine variatione corporis secũdùm suum esse reale, & absolutum, nec sine variatione absolutorum.

Sed quia corruptio, & mors sunt absoluta, ideo, si vnum insit corpori Christi existẽti sub modo naturali, inerit etiam ipsi sub modo Sacramentali: & si separetur anima

à corpore in existentia naturali, separabitur quoque in existentia Sacramentali.

Notandum est insuper præsentiam Sacramentalē non aduenire præsentiæ naturali, sed tantum corpori Christi verè existē-stenti in rerum natura realiter, vnde etiam corpus Christi, non denominaminatur esse sub Sacramento, secundum modum essendi naturalem: quia est incompossibilis cum modo Sacramentali.

Sed denominatur corpus Christi secundùm esse absolutum, esse sub Sacramento. Vnde corpus Christi secundum esse reale, & existentiam realem est fundamentum, siue terminus præsentiæ Sacramentalis: & est ipsa existentia realis, & absoluta: quæ determinatur, à modo essendi Sacramentaliter: & cum dicitur quod corpus Christi, est tale in Sacramento, quale extra Sacramentum, hoc verum est quo ad absoluta, non quo ad respectus, & ea omnia quæ tales respectus consequuntur.

Suares disputatione 4. 8. sect. 2. tenet, posse fieri per potentiam Dei absolutam: vt anima in esse naturali sit separata, & in esse Sacramentali, esse iuncta, ita vt corpus Christi possit viuere, & in alio mori: sed istæ nugæ sunt, vt patet ex tribus propo-

sitionibus Scoti supra explicatis.

Nota etiam corpus Christi nedum viuũ sed exanime esse viuificatiuũ animarum, quia hoc non habet ex vnione ad animam: sed ex vnione Verbi quàm semper retinuit: vnde corpus Christi in triduo fuit capax præsentiæ Sacramentalis.

Sequitur præterea ex doctrina Scoti, quod stante Incarnatione, præsentia Sacramentalis non sequitur necessario necessitate, etiam secundum quid præsentiam naturalem corporis Christi: quia quamuis sit instituta Eucharistia, possent tamen cessare simul omnes Eucharistiæ, & tamen præsentia naturalis in cœlo non cessaret.

Loquendo vero de præsentia Sacramentali in ordine ad naturalem videtur illam præsupponere, quia institutio Eucharistiæ præsupponit esse naturale Christi: cum talis præsentia fiat per conuersionem substantialem, & præsertim, quia secundum doctrinam Scoti corpus Christi non fit præsens in Sacramento ex vi conuersionis, sed per mutationem acquisitiuam, & per transubstantiationem adductiuam, vt videbimus dist. 11.

Dices, si corpus Christi non accipit esse simpliciter sub speciebus, sed solùm acquirit nouam præsentiam, nam ibi est adductio non productio. Ergo non potest corpus Christi fieri simpliciter præsens in Sacramento sine præsentia naturali.

Respondetur, esse naturale, & esse Sacramentale secundum Scotũ (vt vidimus suprà) esse etiam verum esse, & simpliciter corporis Christi, & vnũ potuisse esse prius altero. Vnde illud esse quod prius fuisset: productũ fuisset esse simpliciter, illud verò esse quod postea, esset productũ fuisset esse secũdum quid: vtrũque autem illorum esse pendet à Deo immediate.

Supponit igitur Scotus, corpus Christi non habere esse simpliciter per modum essendi naturalem vel Sacramentalem, sed quod ipsum haberet esse simpliciter absolutè per actionem diuinam: cui esse simpliciter, aduenit postea modus essendi quasi accidentaliter, scilicet naturaliter vel Sacramentaliter.

Vnde habemus ex Scoto, corpus Christi per confectionem Sacramenti non produci in esse simpliciter, quia iam habet esse sed solum fieri præsens, & ideo de facto

nunc præsupponere esse naturale eiusdem corporis: sed in illo casu, scilicet quod ante Incarnationẽ fuisset Eucharistia instituta, Deus prius produxisset corpus Christi sub modo Sacramentali, quod si postea dedisset eidem esse modo naturali, talis modus essendi naturalis præsupposuisset modum essendi Sacramentalem.

Ergo non est necesse, quòd corpus Christi habeat prius esse modo naturali, quàm Sacramentali, cùm vnus modus non pendeat ab alio: De facto tamen modus essendi Sacramentalis pendet à modo essendi naturaliter.

Nota etiam ex Scoto quod omnis forma absoluta quæcumque, sit quæ inest corpori Christi in vno loco, eidem inest in altero loco: quia prædicata absoluta abstrahunt à loco & à respectibus, vnde, si corpus fieret album Romæ, & non Lutetiæ; reciperet tamen albedinem Lutetiæ, etiamsi albificatio tantum fieret Romæ.

De actionibus immanentibus Christi existenti in Sacramento.

Sectio XLII.

Scotus habet tres conclusiones circa hanc materiam, quarum prima, tenet omnes illas operationes, quæ principaliter & primo insunt corpori Christi existenti in cœlo modo naturali, inesse eidem corpori existenti in Sacramento concomitanter, Vnde si Christus videt beatos in cœló, & alias res sibi præsentes, hæc eadem visio inest sibi existenti in Eucharistia, probatur, primò.

Quia nullum absolutum desinit esse in aliquo propter nouum respectum extrinsecùs aduenientem, sed operationes prædictæ sunt formæ absolutæ, vt vidimus in primo lib. dist. 3. q. 6. ergo illæ non desinũt esse in Christo propter aduentum vel variationem præsentiarum in corpore suo, quia istæ præsentiæ sunt relationes extrinsecùs aduenientes.

Secundò, omnis intellectio quæ inest illi tam in cœlo quàm in Eucharistia, aliàs

ipsum esse in Sacramento inferret aliquam imperfectionem. Vnde si Christus intelligeret nunc, modo intelligendi viatoris, qui modus exigit sensationem, oporteret eum phantasmata speculari. 3 de anima; etiam Christus eo pacto intelligeret in Sacramẽto, scilicet concomitanter.

Deinde si dolor infuisset Christo existenti modo naturali, etiam infuisset sensatio eidem existenti in Sacramento, quia non est idem effectus, siue eadem causa: at dolor est effectus sensationis, qui infuisset Christo in Sacramento, sicut existenti modo naturali: quia eo moriente modo naturali, etiam mors sequeretur existente in Sacramento. Ergo non potest esse idem dolor, nisi sensatio sit eadem sine miraculo.

2. *Conclusio.*

Nulla sensatio competit Christo, vt est in Sacramento: quia sensatio non potest fieri à sensu nisi sensus patiatur à sensibili obiecto. Non potest autem potentia pati ab obiecto, nec excitari nisi organum sensus habeat modum quantitatiuum, ipsa enim conditio est necessaria ad sensationem eliciendam: at corpus Christi est in Sacramento sine modo quantitatiuo: ideo ocu-

lus, & cætera organa aliorũ sensuum, non habent modum quantitatiuum, & proinde non possunt percipere actionem obiecti nec per consequens potest fieri sensatio.

3. *Conclusio.*

Operatio intellectus, & voluntatis potest Christo inesse, vt in Eucharistia: quia anima Christi nunc beata, intelligit, sicut Angelus: nã virtus quæ in intelligendo non pendet à sensibilibus non requirit in suo esse, & operari modum quantitatiuum? ergo corpus Christi potest intelligere quodcũque obiectum, sibi proportionatũ: Ex hac conclusione deducit Scotus, Christum nõ acquirere aliquam imperfectionem ex præsentia Sacramentali: quia in Eucharistia non priuatur aliqua operatione, quam habet in cœlo, cum illas habeat concomitanter: licet non possit illas omnes efficere, quæ à sensibilibus pendent, vel recipere primò vt est in Sacramento: cum non sit ibi modo quantitatiuo.

De motu corporis Chriſti in Sacramento.

Sectio XLIII.

SCotus hanc materiã dilucidat quinque cõcluſionibus. Quarum prima hæc eſt: Nulla virtus, creata corporea, vel incorporea poteſt mouere corpus Chriſti, in Euchariſtia mota, vel mutatione propriè dicta, ſcilicet ad aliquem terminum illorum quatuor prædicamentorum, ſubſtantiæ quantitatis, qualitatis, & vbi; quia nulla virtus creata poteſt agere circa corpus, niſi corpus ſit ſibi proportionaliter approximatum ſecundùm locum, ſed corpus Chriſti, non eſt in Sacramento, tanquam in loco. Ergo non poteſt approximari, alicui corpori ſecundùm locum.

De virtute corporea patet, quia actio inter res corporeas fit per contactum. De incorporea etiam conſtat; quia Angelus non poteſt agere in aliquod corpus, niſi exiſtat localiter, circumſcriptiuè, in aliquo vbi: ſubſtantia enim Angeli non poteſt influere virtutem motiuam in corpus, niſi illud idem corpus ſit in aliquo vbi localiter,

aliàs

aliàs non erit capax motus, & mutationis, maior patet quia solæ species sunt in loco: ergo agens naturale potest primò & immediatè agere in ipsas.

2. *Conclusio.*

Deus potest primò & immediatè mouere motu propriè dicto, corpus Christi in Eucharistia, quia corpus Christi habet dispositiones requisitas, ad susceptionem caloris, frigoris, & aliorum pertinentium, ad illa quatuor prædicamenta: ergo non implicat, vt corpus Christi in Eucharistia recipiat virtute diuina, aliquam formam illorum quatuor generum. Nam habet omnia absoluta quæ habet in cælo, & solùm ei deficit existentia naturalis, quæ est conditio necessaria ad actionem agentis naturalis, non tamen supernaturalis.

3. *Conclusio.*

Corpus Christi potest moueri in Eucharistia, & de facto mouetur, primò, & immediatè: quia hostia consecrata potest trãsferri de vno loco ad alium, & fieri præsens modo vni corpori, modo alteri, & sic sũt diuersæ præsentiæ, & relationes in corpore Christi, quæ licèt ei insint per accidens, & ratione specierũ, tamen posset Deus abso-

lutè facere Corpus Christi, non esse præsens speciebus, sed aëri ambienti hostiam, & etiam nunc successiuè vni parti, nunc alteri, & sic transferre corpus de loco hostiæ vsque ad quamcumque partem vniuersi etiam sub modo non quantitatiuo: potest enim habere modum existendi quē habet in Sacramento, etiam si non esset cōtentum sub speciebus, per potentiam Dei absolutam.

4. Conclusio.

Quando corpus Christi mouetur hoc motu extensiuè sumpto, non mouetur per accidens, scilicet ad motum specierū, sed à solo Deo immediatè, quia virtus creata non habet virtutem agēdi in corpus Christi immediatè, & primò: cum non habeat modum quantitatiuum, ergo non habet virtutem ad mouendum illud idem corpus Christi per accidens, quando est cum alio cum quo non facit vnum per se, sicut actus, & potentia; sicut anima rationalis quæ est spiritualis mouetur per accidens à virtute creata, ad motum corporis: quia simul cū corpore, facit vnum per se, ita moueretur corpus Christi per accidens ab agēte creato, si faceret cum speciebus vnum per se.

Vnde quando dicitur à Diuo Thoma. 3. p. q. 76. articulo 6 Id quod mouet aliquid per se, mouet per accidens id quod est in illo. Illud axioma est verum quando illud quod continetur, est coniunctum continẽti, aliqua necessitate naturali, vt actus, vel vt pars eius: non autem quando contingẽter, & per actum voluntatis tantũ, vt contingit in proposito, corpus enim Christi tantùm est præsens speciebus Sacramentalibus per actum diuinæ voluntatis.

Nec propterea erit nouum miraculum, in quolibet motu hostiæ, quia talis motus fit per antiquum miraculum quo instituta est Eucharistia, & quo Deus decreuit corpus Christi contineri in Eucharistia.

Nec putandum est actum diuinæ voluntatis efficere nexum vel vnionem physicam & naturalem, vt volunt aliqui, quia nulla alia datur vnio interna formalis, quam actualis præsentia Sacramentalis, qua corpus Christi est formaliter præsens.

Cùm ergo nulla sit vnio physica, sequitur quod ad motum specierũ non mouetur corpus Christi per connexionem aliquam internam quam habeat intrinsecè cum speciebus, & per consequens, si moueatur

corpus Christi, ad motum specierũ, hoc nõ est ab agente creato, sed à solo Deo speciali motione, quæ tamen potest eadem dici cum motione specierum, inquantum Deus ex natiua institutione Eucharistiæ decreuit mouere corpus Christi ad motum specierũ.

Et stante hac conclusione possunt saluari multæ locutiones Scripturæ sacræ, & Ecclesiæ, scilicet corpus, Christi frangi, & manducari: quia ad hoc sufficit præsentia corporis Christi sub speciebus, & quod ipsis vniatur, per vinculum externum diuinæ voluntatis, sine vinculo interno, & vnione Physica.

Nam hîc est sensus illarum propositionũ corpus Christi frangitur, manducatur, conteritur &c. Idest, species illæ sub quibus verè & realiter corpus Christi continetur, manducantur tanguntur, conteruntur &c: & quia corpus Christi est intimè præsens illis speciebus, propterea dicitur tangi, manducari & dentibus conteri.

5. Conclusio.

Corpus Christi in Eucharistia, potest moueri, & mouetur concomitanter omni motu ad formam absolutam, quia absolu-ctum non variatur ad variationem respectus extrinsecùs aduenientis; vnde licèt,

corpus Chriſti ſit ſimul in cœlo, & in terra, nihil tamen impedit: quin eadem forma abſoluta genita aut generanda in corpore Chriſti, in cœlo vel in terra ſub modo naturali, inſit concomitanter eidem corpori in Euchariſtia vel alibi: quia variatio reſpectuum nõ variat abſoluta, vt ſi caliditas ineſt corpori exiſtenti in cœlo, ineſt etiam eadem ipſi exiſtenti in Sacramento concomitanter, & ipſa eſt terminus alterationis: ſi doleret in cœlo, doleret etiam concomitanter in Sacramento, & ſic de alijs formis inductis per alterationem, augmentationem, & ſimiles motus.

Patet igitur ex dictis, corpus Chriſti poſſe moueri in Euchariſtia concomitanter à virtute naturali motu propriè dicto: excepto motu locali: à virtute autem ſupernaturali motu proprie vel impropriè dicto, an autem talis concomitantia ſit naturalis, vel ſupernaturalis, id eſt, an ex natura rei ſequatur, vel ex miraculo, eſt difficultas. Nam Suares diſp 48. ſect. 6. aſſerit quòd concomitantia operationum, & formarum abſolutarum non ſit virtute agentium naturalium, ſed ſolùm per virtutem ſupernaturalem, & miraculosè, & ita

corpus Christi, ad motum specierũ, hoc nõ est ab agente creato, sed à solo Deo speciali motione, quæ tamen potest eadem dici cum motione specierum, inquantum Deus ex natiua institutione Eucharistiæ decreuit mouere corpus Christi ad motum specierũ.

Et stante hac conclusione possunt saluari multæ locutiones Scripturæ sacræ, & Ecclesiæ, scilicet corpus, Christi frangi, & manducari: quia ad hoc sufficit præsentia corporis Christi sub speciebus, & quod ipsis vniatur, per vinculum externum diuinæ voluntatis, sine vinculo interno, & vnione Physica.

Nam hîc est sensus illarum propositionũ corpus Christi frangitur, manducatur, conteritur &c. Idest, species illæ sub quibus verè & realiter corpus Christi continetur, manducantur tanguntur, conteruntur &c. & quia corpus Christi est intimè præsens illis speciebus, propterea dicitur tangi, manducari & dentibus conteri.

5. *Conclusio.*

Corpus Christi in Eucharistia, potest moueri, & mouetur concomitanter omni motu ad formam absolutam, quia absolutum non variatur ad variationem respectus extrinsecùs aduenientis; vnde licèt,

corpus Chriſti ſit ſimul in cœlo, & in terra, nihil tamen impedit: quin eadem forma abſoluta genita aut generanda in corpore Chriſti, in cœlo vel in terra ſub modo naturali, inſit concomitanter eidem corpori in Euchariſtia vel alibi: quia variatio reſpectuum nõ variat abſoluta, vt ſi caliditas ineſt corpori exiſtenti in cœlo, ineſt etiam eadem ipſi exiſtenti in Sacramento concomitanter, & ipſa eſt terminus alterationis: ſi doleret in cœlo, doleret etiam concomitanter in Sacramento, & ſic de alijs formis inductis per alterationem, augmentationem, & ſimiles motus.

Patet igitur ex dictis, corpus Chriſti poſſe moueri in Euchariſtia concomitanter à virtute naturali motu propriè dicto: excepto motu locali: à virtute autem ſupernaturali motu proprie vel impropriè dicto, an autem talis concomitantia ſit naturalis, vel ſupernaturalis, id eſt, an ex natura rei ſequatur, vel ex miraculo, eſt difficultas. Nam Suares diſp 48. ſect. 6. aſſerit quòd concomitantia operationum, & formarum abſolutarum non fit virtute agentium naturalium, ſed ſolùm per virtutem ſupernaturalem, & miraculosè, & ita

ſecundum ipſum talis concomitantia eſt ſupernaturalis.

Diuus autem Thomas tenet illam eſſe naturalem 3.p.q 76. art.1.p.81. quam Scotus talem etiam ſupponit:licèt in particulari dè hac re nihil diſputauerit, & iſta opinio eſt communior & veriſſima: quia, vt diximus, abſolutum non variatur per variationem reſpectuum, præſertim extrinſecùs aduenientium: nam dato oppoſito ſequeretur, duo cõtradictoria ſimul & ſemel verificari de eodem, quod eſt impoſſibile, conſequẽtia eſt euidens: quia ſi aliquis doleret Romæ, & Lutetiæ non doleret eodem dolore in eadem parte corporis, verum eſſet dicere de eo, dolet, & non dolet ſecundùm idem, & eſt contradictio conſequens ex natura rei.

Nam ſubiectum illud non poteſt non habere formam abſolutam vbicumque exiſtat ſi habet illam in aliquo loco, erit ergo concomitantia naturalis, ſi ignis producat formam ſcilicet caliditatem in corpus Romæ, illud idem corpus Lutetię eam recipiet ſine nouo miraculo, quia hoc ſequetur ex naturali concomitantia propter identitatem ſubiecti exiſtentis in duobus vel plu-

ribus locis virtute diuina. Si dicas, ipse effe-ctus cum sit supernaturalis, non poterit produci ab agente naturali. Verùm est primò, & immediatè, per accidens tamen, & concomitanter non est inconueniens. Nã agens naturale sua virtute producit calorem in corpus sibi approximatum: quo facto ex natura rei sequitur, vt illa forma sit in omnibus locis in quib. corpus illud existit per miraculum.

Non sic autem est de formis respectiuis extrinsecùs aduenientibus, quæ possunt variari, sine variatione absoluti. Vnde corpus potest moueri in vno loco, & in alio quiescere, quia sunt relationes extrinsecùs aduenientes.

Ex dictis etiam sequitur quod si corpus Christi sit in Eucharistia, posito illo miraculo, omnes etiam formæ, quæ in eo sunt induant eũdem modum essendi quem habet in Sacramento: ergo forma illa de nouo inducta in corpus Christi, habet esse sub modo inextenso, virtute prioris miraculi & concomitanter; non autem ab agente creato.

De actionibus competentibus Christo in Sacramento.

SECTIO XLIV.

1. Conclusio.

TEnet Scotus Christũ in Eucharistia nõ posse vti aliqua potentia actiua magis corporea, vt potentia vegetatiua: vel minus corporea vt potentia sensitiua; quia omnis potentia corporea actiua requirit passum in quod agat, approximatum sibi localiter: sed potentia animæ Christi in Sacramento, non est localiter approximata alicui, cum non sit ibi modo quantitatiuo, & extenso: ergo non poterit agere in illud, scilicet, actione per se primò, nõ vero concomitanti.

Vnde Christus in Eucharistia, vt sic, non potest augere se, nutrire se, generare, audire & videre, quia istæ operationes sunt magis vel minus corporeæ.

3. Conclusio.

Christus potest vti potentia quauis spirituali ad agendum spiritualiter in Euchari-

stia, & sic potest intelligere, & velle per se primo: quia potentia spiritualis non requirit ad suam actionem vt habeat obiectum approximatum sibi localiter, licet sit in loco.

Vnde si Angelus esset præsens animæ Christi, vt in Eucharistia est, anima Christi posset loqui mentaliter, & illi reuelare aliquid siue ipsum illuminare; ad locutionem enim Angelorum non requiritur modus essendi in loco localiter, & talis locutio est actio spiritualis, ex parte principij, scilicet intellectus, & ex parte termini scilicet animæ Christi: idẽ dicendũ est de actione quæ est spiritualis ex parte termini, vt motus non organicus quo Angelus mouet corpus pro quo intelligẽdo: notandum est duplicem esse potentiam motiuam, organicam, & non organicam.

Potentia organica est qua mouens mouet corpus secundum partes, vt anima nostra pro hoc statu mouet organicè suũ corpus motu progressiuo. Potentia non organica, est qua mouens, mouet corpus secundùm totum, vt Angelus mouendo lapidem mouet totum lapidem: anima etia nostra habet hanc potentiam non or-

ganicam : quam exercebit in ſtatu beatitudinis quando voluerit, quia poterit mouere ſuum totum corpus immediatè, & non partem per partem; & licèt anima noſtra non vtatur iſta potentia non organica pro hoc ſtatu, non refert, quia etiamſi beati nõ vtantur actibus ſenſuum exteriorum, non propterea ſenſus illi negandi ſunt beatis, quia pertinent ad perfectionem naturæ humanæ: ipſa etiam potentia motiua non organica, eſt in anima Chriſti vt eſt in Sacramento, qua poteſt vti Chriſtus mouendo corpus totum ſimul, ſicut faceret Angelus, & ea fortè (inquit Scotus) vſus eſt Chriſtus in hoc ſtatu mortali, quando Iudæi volebant ipſum præcipitare, vnde elapſus fuit de manibus eorum.

Poteſt ergo Chriſtus in Euchariſtia ea vti mouendo ſpecies vel hoſtiam, vt fortè contigit: nam legimus Chriſtum miraculosè tranſtuliſſe hoſtiam de vno loco ad alium locum, ob vitandas iniurias infidelium : vel propter veritatem Sacramenti oſtendendam vel ob aliquid aliud ſimile.

Quod autem anima intellectiua habeat huiuſmodi virtutem inorganicam, patet, quia natura ſua eſt ſpiritualis, & poſt reſur-

rectionem habebit dominium supra suũ, corpus gloriosum, & tunc obediet imperio animæ, anima autem habet illam potentiam motiuam inorganicam eo modo quo Angelus, mouendo cœlum aut aliud corpus, siue talis motus fiat per actum intellectus, & voluntatis, siue per potentiam executiuam.

De corpore Christi viso, in Sacramento ab intellectu creato.

SECTIO XLV.

DVplex assignatur à Scoto intellectio intuitiua, quæ est rei præsentis vt præsens est: & abstractiua, quæ est rei præsentis in aliqua specie, vel aliquo repręsentante, vt in 2. sent. d. 3. qu. 9. patet: hoc posito, nemini dubium est corpus Christi, posse videri abstractiuè in Sacramento, naturaliter ab intellectu creato: nam concipit istam propositionem complexam.

Corpus Christi est in Eucharistia, Vnde, vt optimè deducit Scotus ex D. Augustino, de Trinitate c. 4. & 5. eo modo habe-

mus fidem de Christi corpore in Eucharistia, quo modo habemus de ipso in esse naturali quem tamen numquam vidimus: at concipimus Christum in quibusdam conceptibus communibus acceptis à singularibus, respiciendo scilicet hominem singularem, cuius notitia nobis potest inferri ex notitia cuiusque hominis singularis.

Ita possumus concipere existentiam corporis Christi in Eucharistia ex alijs existẽtijs rerum aliquo modo similibus, vt pote ex existentia alicuis contenti in continente: signati in signo, vel tecti in tegente, nam intelligimus corpus Christi, tegi & contineri sub illis speciebus.

Quantum autem ad cognitionem intuitiuam Scotus ponit 4. conclusiones quarum prima hæc est.

Intellectus noster pro statu viæ non potest naturaliter videre corpus Christi, vt existens est in Sacramento: quia intelligit eo modo quo sensibilia sibi præsentantur., sensibilia autem quæ sunt in Eucharistia eo modo se habent ante, & post consecrationem, quæ non causant cognitionem intuitiuam, ergo corpus Christi intuitiuè videri non potest. Neque etiam hoc fieri potest ex effectibus, quia nullus

est effectus sensibilis in hoc Sacramento indicans corpus Christi existere potius post consecrationem quam ante ipsam.

2. *Conclusio.*

Intellectus beatus, nullomodo videt de facto Corpus Christi in Eucharistia per actum beatificum, quia corpus Christi vt sic non est obiectum beatificum neque includitur in eo obiecto.

Quod non sit obiectum beatificum patet, quia sola est essentia diuina: & quod nõ includatur in eo, constat, quia obiectum beatificum non magis includit vnum Sacramentum quam aliud, sed non includit visionẽ collationis gratiæ, quæ fit in Baptismo, vel in pœnitentia. 3. *Conclusio.*

Non requiritur ad actum beatitudinis quod beatus videat existentiam corporis Christi in genere proprio: quia visio rerum in genere proprio multò minus spectat ad actum beatitudinis quam visio rerum in Verbo, loquendo de inclusione essentiali pertinente ad perfectionem actus beatifici, & hoc intelligendum est de cognitione clara: nam de obscura, & enigmatica, scilicet per fidem, constat hoc mysterium posse cognosci non solùm per fi-

dem diuinam, sed etiam per fidem humanam, immo etiam ex fide coacta, & necessitante intellectum per miracula ostendentia veritatem huius Sacramenti.

Licet Scotus dicat beatos de facto non videre existentiam corporis Christi in visione beatifica, non tamen negat id quod dicit D. Thomas 3.p.q.76 artic. 7. scilicet beatos posse illam videre, si Deus velit illam ostendere. An autem Deus ostendat de facto hoc mysterium in visione beatifica, non est certum satis Scoto, quòd hoc non sequatur ex ratione visionis beatificæ, & & quamuis nulla sit necessitas, non est tamen aliqua impossibilitas.

4. *Conclusio.*

Omnis intellectus non alligatus sensibilibus in intelligendo, siue sit Angelicus, siue animæ separatæ, siue hominis beati, potest videre naturaliter existentiam corporis Christi in Eucharistia: ista conclusio negatur à Thomistis, & à Suarez: & ideo, vt videatur verissima, multa sunt prænotanda, & primò. Intellectus abstractus respicit totum ens & quodcumque secundùm ordinem suæ intelligibilitatis, vnde respicit primò substantiam, deinde accidens, quia

ſicut ſubſtantia eſt prior in entitate, ita prior eſt in intelligibilitate.

Iſte autem intellectus abſtractus non tantùm intelligitur de Angelico, ſed etiam de humano; quia vt ait Scotus in quodlib. 14. artic. 3. p. Quicquid poteſt intelligi ab Angelo, illud idem poteſt ab homine, vndelicet Philoſophus hoc negaret, Theologus id aſſerere debet: quia concedit hunc ſtatum vitæ præſentis eſſe ſtatum pœnalem, non naturalem: etiam fatetur iſtam impotentiam intelligendi reſpectu multorum intelligibilium eſſe pœnalem, non verò naturalem iuxta illud. D. Auguſt. 15. de Trinitate. c. 27. *Quæ igitur eſt cauſa, cur acie fixa lucem ipſam videre non poſſis? niſi vtique infirmitas: & quis tibi eam fecit niſi iniquitas?* & omnes Theologi concedunt hanc ignorantiam eſſe pœnam peccati originalis.

Ergo illud quod eſt obiectum adæquatum intellectus Angelici ex naturæ potentiæ, illud idem eſt obiectum adæquatum intellectus humani abſolutè conſiderati, & vt eſt abſtractus à rebus iſtis ſenſibilibus.

Illud autem obiectum adæquatum Angeli & humani intellectus ex natura potentiæ, eſt ens inquantum ens: non quidem

secundùm extensionem intensiuam; quia intellectus creatus non potest adequate intelligere Deum in vtroque statu, sed secundùm adæquationem extensiuam, ita vt homo & Angelus possit per sua naturalia percipere aliquam cognitionem de omni ente etiam de ente abstracto, & præstantissimo, scilicet Deo, etiam cognitionem quidditatiuam, licet non omnino adæquatam, & exactam ac perfectam: qualem Deus ipse habet ob infinitatem intellectus & sui obiecti.

Quod si ens non esset obiectum adæquatum cognitionis quidditatiuæ intellectus creati, intellectus creatus nunquam posset videre Deum clarè cognitione quidditatiua, quæ dicitur visio clara & beatifica.

Quod si Deus non possit naturaliter cognosci ab Angelo, etiam si contineatur sub obiecto naturali intellectus creati, prouenit ex eo quòd Deus est obiectum volũtarium, & propterea intellectus non potest habere ipsum præsentem in ratione obiecti ex suis viribus, & eum intueri.

2. Notandum est virtutes Theologicas vt fidem, charitatem & similes esse in determinata specie qualitatis, & esse entia creata

&

& perconsequens, poni sub obiecto intellectus creati. Ratio enim supernaturalitatis non potest impedire intellectum creatum, præsertim separatum à sensibilibus, ab intellectione earundem rerum supernaturalium.

Quia illa supernaturalitas non dicit perfectionem entium illorum simpliciter supra entia naturalia; immò imperfectio eorum entium stat cum illa supernaturalitate, in comparatione ad entia naturalia: sunt enim accidentia, accidentia autem toto genere sunt imperfectiora substantia, vt habet Aristoteles 7. Metaph. text. 2. & 4.

Deinde illa accidentia ordinantur ad perfectionem substantiarum abstractarum, & etiam coniunctarum: nam sunt instrumẽta, & media ad operationes excellentissimas: at quis dicet instrumenta esse nobiliora agente principali? Cum ergo ipsa agẽtia scilicet substantiæ Angelicæ sint entia perfectissima creata, & illa accidentia cognosci possint ab intellectu creato; sequitur, etiam si sint ordinis supernaturalis, non fugere naturalem intellectiuitatem potentiarum Angelorum.

Licèt ergo aliquid sit supernaturale, id-

est, productum ab agente supernaturali: non obstat tamen, quod hoc sit ens creatum, nec impedit quod cadat sub obiecto intellectus creati abstracti.

His positis; probat Scotus intellectum non alligatum sensibilibus, posse videre naturaliter existentiam corporis Christi in Eucharistia, & primò sic. Omnis potentia cognoscitiua potest intuitiuè cognoscere obiectum sibi proportionatum: sed substãtia corporis Christi est obiectum proportionatum intellectui abstracto cognitione intuitiua; ergo potest illud intuitiuè cognoscere.

Similiter substantia panis est obiectum sibi proportionatum, cognitione intuitiua; ergo potest illam cognoscere intuitiuè: vbi autem est obiectum per se proportionatum potentiæ, modus accidentalis ipsius obiecti cuiusmodi est existentia Sacramentalis in corpore Christi, non potest impedire visionem eiusdem: quia quod est per se, non variatur ab eo quod est per accidens.

Secundò sic. Totum ens creatum est obiectum proportionatum intellectui creato quantum ad cognitionem intuitiuam &

abstractiuam corporis Christi sub illa existentia Sacramenti, immo illa existentia tia Sacramentalis est ens creatum: ergo potest ab illo intelligi, non solùm abstractiuè, quando scilicet est, sed intuitiuè, scilicet quando est præsens, Antecedens patet: quia cognitio abstractiua est obiecti absentis, & intuitiua est obiecti præsentis: ergo quod est obiectum cognitionis abstractiuè, est etiam obiectum cognitionis intuitiuæ: obiectũ autem cognitionis abstractiuę & intuitiuæ est ens inquantum ens, vt vidimus supra. 3. Anima Christi nouit naturaliter se esse vbicumque est: ergo nouit se esse in Eucharistia: ergo naturaliter potest cognoscere existentiam, quæ ratione sui, & sui corporis est ibi, nam non est possibile cognoscere se esse in Eucharistia, & non cognoscere modum, quo ibi existit, quia modus essendi in Eucharistia includitur in cognitione, qua cognoscit se esse in loco: adde quod est impossibile videre existentiã substantiæ vel accidentis, & non videre modum existendi, ipsorum.

De corpore Christi viso ab oculo corporeo.

SECTIO XLVI.

DVo sunt prænotanda pro intelligentia opinionis Scoti. 1. Corpus Christi est coloratum in Eucharistia prout est quantum, non verò sub modo quantitatiuo, id est, color fundatur in quantitate quatenus habet extensionem, & situm de prædicamento quantitatis; non autem prout habet extensionem in prædicamento situs: quia color est qualitas absoluta, quæ præcedit illam relationem extrinsecùs aduenientem.

2. Notandum est substantiam separatam in eo differre à corpore Christi in Sacramento, quod ipsa non sit figurata & colorata, corpus autem Christi est quãtum figuratum, & coloratum in Sacramento. Ergo non est mirum si sit visibile. Aliud verò non. His prænotatis Scotus ponit duas conclusiones, quarum prima hæc est.

Deus potest causare in oculo glorio-

ſo, vel non glorioſo, viſionem corporis Chriſti, per potentiam ſuam abſolutam, licèt alibi non eſſet quam in Euchariſtia, & hoc in quantum abſtrahit ab illo modo Sacramentali, & ſumitur ſpecificatiuè.

Probatur primo ſic. Forma abſoluta popoteſt fieri, & cauſari in aliquo abſque forma reſpectiua: ſed viſio corporalis corporis Chriſti eſt forma abſoluta: præſentialitas autem eiuſdem corporis ad illas ſpecies eſt relatio extrinſecus aduenients: ergo Deus poſſet cauſare viſionem corporis Chriſti abſque viſione illius modi exiſtendi ſub ſpeciebus. 2.

Corpus Chriſti vt in Sacramento fundat relationem præſentiæ ad ſpecies: habens vt ſic, aliquod eſſe ſub illis: illud autem eſſe non eſt indiuiſibile: quia corpus Chriſti, non eſt præſens ſpeciei indiuiſibilis, ſed eſt aliquomodo diuiſibile, cum poſſit eſſe præſens, minimæ ſpeciei: hoc poſito ſic infert Scotus. At minimum ſenſibile eſt perceptibile à ſenſu perfectiſſimo, vt habet Ariſtoteles in fine, de ſenſu & ſenſato dubit. vltima, ergo corpus Chriſti poterit percipi à viſu corporeo perfectiſſimo, non obſtante ſuo modo exiſtendi hic vel nullibi.

Quod enim corpus possit esse simpliciter, & non esse alicubi, non est inconueniēs; quia si Deus creasset vnicum corpus tantū non posset esse in loco; quia non haberet extra se aliud corpus à quo cōtineretur: ergo sine loco posset videri.

Probatur, quia esse in loco, est relatio extrinsecùs aduenieus; color autem qui est ratio motiua obiectiua visionis, est qualitas absoluta, quæ præcedit illam relationem essendi in loco Ergo dato casu quod corpus illud non esset alicubi, esset tamen visibile, & per consequens, corpus Christi visibile per potentiam diuinam, etiam si non esset alibi quam in Eucharistia.

2. *Conclusio.*

Si sumatur corpus Christi reduplicatiuè idest,, prout est in Eucharistia, cum modo existendi Sacramentaliter, & non quantitatiuo: tunc impossibile est inquit Scotus, videri ab oculo corporeo, glorioso, & non glorioso, etiam per potentiam Dei absolutam, quia hic modus essendi, repugnat essentialiter visioni corporali, & implicat contradictionem: nam contradictio est, vt fiat sensatio corporalis, primò corporis Christi, vt in Eucharistia existit. Cum non

ſit ſub modo quantitatiuo, viſio enim corporalis debet fieri per conactum, qui non poteſt hîc adeſſe, cum exigat modum quãtitatiuum cui eſt in compoſſibilis modus Sacramentalis.

Vnde modus quantitatiuus de prædicamento quantitatis, eſt de eſſentia viſionis, & ſecundùm ipſum Deus poteſt oſtendere oculo corporeo corpus Chriſti ſine modo exiſtendi Sacramentaliter, etiamſi in nullo alio loco haberet exiſtentiam.

De apparitionibus Chriſti in Sacramento.

SECTIO XLVII.

APparitiones Chriſti in Sacramento fiunt multis de cauſis. Primò ad confundendum infideles, & præſertim huius veritatis impugnatores. Secundò ad terrẽdos peccatores, indignè accedẽtes. Tertiò, ad confirmandos debiles in fide. Quartò, ad amicos conſolandos.

Vbi notandum eſt, quòd quando vertitur Euchariſtia in lapidem & cineres, aut in aliquid aliud, tunc deſinit hic adeſſe cor.

pus Christi, quia mutantur accidentia, vnde quando nulla fit alteratio, aut mutatio in accidentibus, non desinit, corpus Christi; tamen conseruanda sunt ea, in quæ mutatum est Sacramentum; ob reuerentiam miraculi quod præcessit, & corporis Christi quod præfuit, & hoc consentaneum est fini talium mutationum, scilicet ad confũdendum peccatorem, & significandum Christum ab eo fugere propter infidelitatẽ, vel impuritatem eius.

Signa autem visibilia quibus confirmatur præsentia corporis Christi in Sacramento reduci possunt ad duo capita. Primum: est quando hoc fit cum visibili præsentia Christi, aut carnis, vel sanguinis, vt cum splendor apparet circa species, vel audiũtur Angeli laudantes vel adorantes dominum; quomodo legitur apud D. Cyprianum & Chrysostomum lib. 6. de sacerdotio

Quando species consecratæ, visæ sunt moueri, suo impulsu: quando conculcatæ, lapidibus contusæ integræ & quasi intactæ permanserunt; quando patenæ ita adhæserunt vt nec diuelli, nec frangi potuerint propter indispositionem indignè accedentis: vnde tunc Christus manet sub

illo genere mutationis ſub ſpeciebus, quia nulla fit alteratio, & corruptio.

D. Thomas docet viſionem corporis Chriſti poſſe fieri tribus modis. Primò, per immutationem ſolius obiecti , ſecundò , per mutationem potentiæ : tertio per immutationem medij. Vnde quando vni, & non alteri apparet: ſignum eſt immutationem non fieri in obiecto, quia ſi ſic eſſet, videretur ab omnibus, vel nouum adderetur miraculum: quod non eſt ſine cauſa fingendum.

Neque tamen dicendum eſt tales apparitiones, eſſe deceptorias , & illuſiones, ſenſuū à dæmonibus factas; quia licèt immutatio non fiat in obiecto, quod apparet ſenſui, non eſt propterea mendacium ; quia ordinatur ad ſignificandum aliquam veritatē. Vnde D. Auguſtinus dicit, *non eſſe mendacium quando ſimulatio refertur ad ſignificandum verum.*

Si apparitio fiat per immutationem obiectorum factam in medio, vt ſunt calores apparentes, tunc nulla eſt deceptio ex parte agentis, ſecluſa intentione decipiendi. Pictor enim non decipit depingendo imaginem , tam perfectè vt alteri rem veram eſſe appareat.

Notabis etiam apparitiones illas posse fieri à dæmone, & ideo recurrendum est ad Deum, precibus & orationibus, & ad prudentium consilium. Accidere etiam possunt ex vehementi imaginatione, vel læsione, vel debilitate phantasiæ, vt ait Alexander Alensis 4. p. q. 53. art. 3. in apparitionibus autem illis non videtur Christus in se nec caro, & sanguis eius, nec in ipsis est propriè caro & sanguis sed color tantùm & figura, quæ adhęrent ipsissimet speciebus ex D. Thoma.

Deinde quando fit tanta immutatio: in qualitatibus specierum, vt sub eis non possit conseruari substantia panis, & vini, tunc non manet sub eis Christus, siue eadē quantitas maneat, siue non.

Si immutatio fiat in accidentibus, communibus tantum, cuiusmodi sunt color, & figura; verissimile est substantiam non corrumpi: & ideo Christus sub speciebus sic mutatis potest manere. Si vero in propriis & intrinsecis vt sunt sapor, & odor, etiam mutatur, substantia, & consequenter Christus ibi manere non potest. Vnde praxis Ecclesiæ, est vt conseruet species consecratas, immutatas, colore carneo, aut san-

guineo, & veneretur vt verum Euchariſtiæ Sacramentum: ſi verò poſt diuturnitatem temporis appareat ſufficientia ſigni corruptionem, tunc non adhibetur ei veneratio.

Item ſpecies circa quas fiunt prædictæ mutationes non ſunt conſumendæ; ſed conſeruandæ in loco Sacro & decenti quãdiu ſunt ſub tali forma, quia ſub illa forma non poſſunt ſine horrore ſumi. Si verò ad priorem redeant formam tunc conſumi poſſunt, & tunc probabile eſt non eſſe factam, immutationem in ſpeciebus, ſed tantùm in oculis.

Vnde refert Paſchaſius talem viſionem accidiſſe cuidam viro, & ipſo rogante, vt forma prior rediret, ea redita, conſumpſit Sacramentum: quòd ſi talis immutatio accedat facta conſecratione, ſacerdos tenetur ſpeciem ſumere ea parte: qua non eſt immutata: ſi verò nihil corporis, & ſanguinis remaneat ſumendum, aliqui dicunt neceſſarium eſſe iterum conſecrare ex pręcepto, & alias ſpecies conſumere: veriùs tamen, inquit Suares explicando. D. Thomam, non eſt præceptum ſed conſilium, & ideo non debet iterum conſecrare: quia nõ

esset consumere prius sacrificium iam inchoatum, maxime si verum est consumptionem specierum non esse de substantia sacrificij.

De conuersione panis in corpus Christi.

SECTIO XLVIII.

SCotus dist. ij. q. 1. & 2. ita definit transubstantiationem: Est transitio totalis substantiæ in substantiam, & per hoc differt a mutatione totali accidentis in accidens, quæ dicitur transaccidentatio.

Ista autē transubstātiatio non est possibilis virtuti creatæ, quia ipsa exigit subiectum in omni sua actione in quod agat: vnde remanet possibilis tantum virtuti diuinæ, quæ in agendo non requirit subiectum, quod sic probat Scotus. Illud potest Deus quod non implicat contradictionem: sed ista transubstantiatio non implicat &c. Ratio autē cur possit Deus id quod non implicat, est quia ipse habet in sua potestate vtrumque extremum quantum ad totum esse, & quantum ad totum non esse.

Tenet etiam Scotus transubstantiatio-

nem non esse mutationem, quia mutatio est qua aliquid potest aliter se habere nunc quam prius, vt habet Arist. 6. Physic. text. 31. & 73. & ex 5. Metaphis. textu. 17.

Ergo solùm illud potest mutari, quod est nunc sub forma vna, deinde est sub priuatione illius formę: vnde creatio, annihilatio, & transubstantiatio non possunt dici mutationes, cum in ipsis nullum sit subiectum, quod remaneat modo sub vna forma, modo sub alia: vnde si Aristoteles cognouisset transubstantiationem, non reposuisset illam sub genere mutationis.

Possunt quidem dici mutationes non ad subiectum potentiale; sed ad terminum, siue illæ sint ad terminum ad quem, vt in creatione, siue a termino a quo, vt in transubstantiatione, & annihilatione: probat autem Scotus contra Baronem esse mutationes impropriè dictas:

Nam in mutatione proprie dicta, reperitur subiectum quod mutatur, forma ad quam mutatur, & habitudo subiecti ad formam, nec non successio immediata informationis, ad non informationem, & econuerso, quæ non reperiuntur in creatione, annihilatione, & transubstantiatione.

Notat etiam Scotus, quod ſicut eſt triplex mutatio in naturalibus,ſcilicet ex ſubiecto in non ſubiectum,vt corruptio: ex non ſubiecto in ſubiectum , vt generatio : & ex ſubiecto in ſubiectum,vt motus augmentationis , alterationis & vbi : ita in ſupernaturalibus eſt triplex mutatio , ſcilicet ex non ſubiecto in ſubiectum, vt creatio; ex ſubiecto in non ſubiectum vt annihilatio; & ex ſubiecto in ſubiectum, vt tranſubſtantiatio. Iſtæ autem mutationes ſupernaturales nihil habent de genere mutationis niſi ſucceſſionem,ſiue quendam ordinem vnius ad alterum,vel inter priuatiuũ & poſitiuum, vel poſitiuũ & priuatiuum,vel poſitiuum & poſitiuum:duo hîc ſunt obſeruanda. Primò quod Deus non poſſit conuerti in creaturam, nec creatura in Deum, vt habet Scotus, diſt. ii. q. 2. quia Deus non habet poteſtatem ſupra ſuam entitatem propriam, cum illa ſit neceſſe eſſe in ſe vt poſſit illam mutare, nec ſua potentia illam reſpicit; ſed ens poſſibile tanquam eius proprium obiectum & in hoc Theologi omnes conueniunt.

2. Deus de potentia ſua abſoluta poteſt conuertere quamcumque creaturam in

aliam : hoc autem intelligitur de mutatione totali, & non partiali, vt intelligebat Suarez: & ratio est, inquit Scotus; quia Deus potest omne illud, quod non implicat, contradictionem, non implicat autem repugnantiam, quod vna res creata totaliter succedat alteri creatæ omnino, quia sicut potest Deus vnam rem creare, & aliam annihilare, ita potest vnam conuertere totaliter in aliam sine repugnantia.

Non sic est in mutationibus partialibus; quia subiectum cui conuenit vna forma, repugnat alia forma : vt caliditas competit igni, cui repugnat frigiditas: ideo si vellet Deus conuertere frigiditatem aquæ in caliditatem ignis manente ipso igne, vel intellectum angeli in sensitiuam formicæ, faceret aliquid quod implicat repugnantiam.

Notandum est preterea, quod si aliquid conuerteretur in aliud totaliter, amitteret suum proprium modum essendi, quem prius habebat, & reciperet modum essendi, & subsistentiam illius rei, in quam conuerteretur.

Vnde Scotus in responsione ad vltimum principale dicit, quod si absolutum conuerteretur in respectiuum, absolutum non

haberet amplius esse absolutum, sed esse respectiuum, & eodem modo quo respectus haberet esse: Vnde cum respectus non habeat esse sine fundamento, & termino: absolutum versum in respectiuum, non haberet esse nisi ex fundamento & termino.

Ergo vnum ens non potest conuerti in aliud, retinens proprium modum essendi. Vel ita, quod recipiat subsistentiam alterius: quia hoc repugnat, cum sit conuersio partialis: bene autem si amittat propriam entitatem & modum essendi, accipiendo entitatem, & modum essendi alterius in quod conuertitur: & sic non est incompossibile, Angelum conuerti totaliter in animam rationalem, & substantiam materialem in spiritualem; ita quod non solùm substantia, sed etiam accidentia illas consequentes proportionaliter quoque mutentur.

De panis desitione finita consecratione.

SECTIO XLVIV.

Licet D. Thomas 3. p. q. 75. art. 2. afferat probabiles rationes pro desitione panis in Eucharistia finita consecratione: *Non tamen cogunt, inquit Scotus, nec conuincunt euidenter & necessario non tenere oppositum.*

Vnde Scotus in hac quęst. art. 1. dicit rationem efficaciorem sumi ex authoritatibus sanctorum Patrum, quæ adducuntur à Magistro sent. d. 10. & 11. & plures habentur, de consecrat. dist. 2. Sed quod maximè vrget, est authoritas Ecclesiæ, nam habetur extra de hęreticis ad abolendam de Sacramentis: tenendū esse sicut tenet S. R. Ecclesia: at Rom. & Catholica Ecclesia tenet panem non remanere in Eucharistia; sed transsubstantiari in corpus Christi, & vinum in sanguinem vt manifestè habetur extra, de summa Trinitate, & fide Catholica, c. Firmiter credimus ff. vna vero, vbi dicitur: *Ipse Iesus Christus sacerdos est & sacrificiū, cuius corpus & sanguis in hoc Sacramento altaris sub spe-*

ciebus panis & vini veraciter continetur (& sequitur statim) *transubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem potestate diuina.* Quod postea diserte est explicatum, & definitum in Conc. Trident. sess. 13. c. 4. sic, *Quoniam Christus redemptor noster Corpus, id quod sub speciebus panis offerebat verè esse dixit: ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit conuersionem fieri totius substantiæ panis, &c.* Vbi apertè dicitur per conuersionem panis, & vini fieri conuersionem totius substantiæ panis, in substantiam sanguinis eius: vnde propter hanc solemnem determinationem Ecclesiæ. Opinio illa est hæretica, quæ tenet substantiam panis, vel aliquid eius remanere: quia constat apertissimè illam esse contra definitionem Ecclesiæ.

Scotus ergo ostendens rationem, cur mota sit Ecclesia, ad terminandum substantiam panis, non remanere in Eucharistia: sic ait, *Eo spiritu expositæ sunt scripturæ quo conditæ, & ita supponendum, quod Ecclesia Catholica, eo spiritu exposuit quo tradita est nobis fides, spiritu sancto veritatis edocta, & ideo hunc sensum, & sententiam elegit, quia vera est: non enim in potestate Ecclesiæ fuit facere istud verum, vel non verum, sed Dei instituentis, sed*

intellectum, a Deo traditum Ecclesia explicauit directa in hoc, vt creditur, Spiritu veritatis.

Ex his patet quod quando Scotus in 4. d. 10. q. 1. dixit, nomen transubstantiationis non fuisse ita notum, non intellexit de re sed de nomine: neque dixit non fuisse prius cognitum, & creditum absolutè, sed non fuisse creditum sic explicitè, vt modo, sed solum implicitè: & credidit illas authoritates Scripturæ. *Hoc est Corpus meum,* importare hanc conuersionem: sed implicitè: occasione autem hæreticorum declarauit explicitè sic esse credendum.

Sunt etiam aliquæ congruentiæ huiusmodi desitionis panis. 1. Decebat vt solū Christus significaretur: & responderetur esse hîc Christum solum, & non panem, 2. Propter adorationem, vt posset simpliciter exhiberi sine periculo erroris, & idololatriæ, vt exponit D. Thomas, 3. Vt mysterium istud esset mirabilius, magisque declarans diuinam potentiam, 4. Vt caro Christi substituta loco substantiæ panis, commodius fieret panis, & cibus noster, iuxta illud. Ioan. 6. *Panis quem ego dabo caro mea est, &c.*

De modo transubstantiationis.

SECTIO XLX.

DVæ sunt celebriores opiniones omnibus alijs, de modo transubstantiationis, supponendo quod sit inter terminos positiuos. Prima dicit transubstantiationem esse ad substantiam, vt accipientem esse per illam, & ea dicitur transubstantiatio productiua sui termini ad quem: vel potest dici transubstantiatio ad entitatem sui termini: Secunda transubstantiatio dicitur esse ad substantiam, vt accipientem esse hîc quæ vocatur adductiua sui termini: quia per ipsam adducitur terminus vt sit hîc, vel dicitur transubstantiatio ad præsentialitatem sui termini. Quid autem sentiat Scotus de vtraque transubstantiatione, Faber Fauentinus in 4. d. 11. q. 2. & 3. disput. xlv. fol. 191. existimat ipsum esse problematicum; itaut Scotus sustineat vtramque opinionem, & quamlibet transubstantiationem esse possibilem. Licet de facto magis inclinetur ad sustinendam transubstantiationem adductiuam: ad quem remitto cu-

riosum lectorem : sufficit mihi pro nunc afferre ea quæ habet Scotus d. 114.3. arguendo contra transubstantionẽ adductiuã, vbi adducit inter alia istud argumẽtum. *Præterea tunc erit terminus ad quem, per transubstantiationem alicubi, vbi non fuit prius. Cuius oppositum probatum est dist. 10. q. 1.*

Huic autẽ argumẽto sic respõdet Scotus: *Transubstantiatio primò dicta (scilicet productiua) non facit terminum ad quem, esse vbi non erat prius, & ita debet intelligi conclusio probata dist. 10. Sed transubstantiatio 2. modo dicta, scilicet adducta, includit mutationem quandam ad simplicem presentiam circa terminum adquem, & ratione istius bene potest terminus ad quem esse, vbi non erat prius. Hæc Scotus*: Nunc videndum est quomodo probet Scotus, vtramque transubstantiationem, esse possibilem. De transubstantiatione productiuá disserit Scotus, in quolib. 10. in fine ferè articuli 2. ff. *Tertius intellectus principalis.*

Prima ergo probatur sic : sicut Deus eodem velle creauit Corpus Christi, prout voluit ipsum esse post non esse, & conseruat illud inquantum vult Corpus illud esse quasi post idem esse : ita eodem velle conuertit panem in corpus Christi ; quia vult

Corpus Christi esse, post esse panis.

2. Sicut Deus creat res ex nihilo: ita etiam illas conseruat ex nihilo, ad differentiam agentium naturalium: quæ si volunt aliquid conseruare, vt ignem, necesse est, vt apponant materiam: Deus autem ex nihilo: attamen nihil impedit, quin si vellet, posset conseruare aliquam rem creatam, ex entitate alterius rei, conuertendo illam in rem conseruandam.

Vnde sicut potest creaturã totaliter de nouo creare & annihilare: ita potest, non solũ partialiter vt facit agens naturale, sed totaliter vertere in aliam.

Imaginemur ergo, quod Deus, ex substantia panis quasi conseruet Corpus Christi in esse præexistenti quod habebat. Nam sicut Deus conseruabat Corpus Christi ex nihilo ante consecrationem.

Ita in transsubstantiatione potest illud conseruare, ex substantia panis, conuertendo illam in Corpus Christi iam præexistens, & sic non ponimus duas actiones totales producentes eundem effectum vt facit Suarez: sed tantùm vnam.

Nam conseruatio Corporis Christi; & conuersio substantiæ panis, in illud, sunt

vna, & eadem actio in re, proueniens a Deo, licet formaliter, & secundùm diuersas habitudines, sint diuersæ: nec ponimus aliquid substantiæ panis manere, sed dicimus illam totam conuerti in substantiam corporis Christi.

Quantum autem ad transubstantiationem adductiuam, probatur esse etiam possibilis, hoc pacto. Deus habet omnino in potestate sua extrema istius conuersionis, ergo potest ponere vnum eorum, vbi prę. fuit alterum, & ita potest conuersio fieri in præexistens: quia potest de nouo fieri hîc presens, vbi fuit terminus aquo: etiamsi priorem locum non deserat, scilicet mutatione acquisitiua, & non deperditiua: & dicitur conuersio substantialis, non quia sit productiua substantiæ, sed quia est adductiua substantiæ loco alterius substantiæ. *Deinde*, hæc transubsatis est ad veritatem verborum Christi: H*oc est corpus meum*, quia sufficit quod corpus Christi fiat præsens sub speciebus, vt substantia panis expellatur.

Vnde sufficit de mente Scoti, successio substantiarum sub eisdem accidentibus, ad essentiam transubstantiationis; siue vocetur conuersio substantialis, siue conuer-

sio substantiarum: neutrum enim potest colligi ex Concilijs definitè; nam solùm dicunt substantiam conuerti in substantiam; quod potest esse verum, ratione termini adæquati; quia necessario debet includere substantiam, quæ loco alterius substituatur.

Præterea, inquit Scotus, eo modo terminus prior conuertitur in posteriorem, quo posterior succedit termino priori; sed terminus posterior, scilicet Corpus Christi, non succedit termino priori, scilicet pani secundum esse simpliciter, sed secundum esse hîc præsens: ergo nec panis conuertitur in corpus Christi, nisi secundum esse hîc præsens pani præexistenti: ergo est tantum conuersio aductiua: ita enim conuertitur panis in corpus Christi, quod nulla fit mutatio in ipso corpore, nec habet aliquid ampliùs, quam prius haberet præter præsentiam nouam ad species quæ est accidens.

De non annihilatione Panis.

SECTIO XLXI.

SCotus etiam videtur problematicus in materia de annihilatione, ſicut in illa de tranſubſtantiatione: quia in 4. d. ij. ſuſtinet quod ſi tranſubſtantiatio ſit adductiua, deſitio panis abſolutè erit annihilatio: adſunt eius ipſiſſima verba: *De prima conuerſione, qua terminus vnus accipit eſſe ſimpliciter, & alius ſimpliciter non eſſe, fortè poſſet ſaluari, quod deſitio termini aquo, ideſt panis, non eſt ſimpliciter annihilatio*: vbi patet Scotum tunc credidiſſe annihilationem non fieri ſuppoſita tranſubſtantiatione adductiua. In quolib. 10. videtur mutare ſententiam, quia licet in 4. d. ij. 4. 4. magis inclinetur ad conuerſionem adductiuam, tamen factus ſenior, videtur magis inclinare ad conuerſionem productiuam, & per conſequens deſitionem panis non eſſe annihilationem.

Tenet ergo Scotus in 4. d. ij. 4. 4. quod panis abſolutè annihilatur: ſi verum ſit conuerſionem eſſe aductiuam; & quod tamen panis non annihilatur, per illam conuerſio-

nem:& hæc eſt ſua prima propoſitio in qua duæ ſunt partes: prima eſt. Quod deſitio panis abſolutè eſt annihilatio: quia ipſa deſitio, habet duos terminos per ſe primò, ſicut omnis motus ſcilicet a quo, & ad quē. Terminus a quo, eſt eſſe ſubſtantiæ panis: Terminis ad quem eſt non eſſe ſubſtantiæ panis: Vnde non eſſe ſubſtantiæ corporis, Chriſti, eſt terminus accidentalis tantum; huius deſitionis panis, vt vidimus ſupra, quia poſſet eſſe deſitio panis ſine præſentia corporis Chriſti, & ſic patet terminum, ad quem eſſe nihil, & per conſequens ibi eſt annihilatio.

Secunda pars etiam probatur. Nam vt habet Scotus; conuerſio adductiua ſubſtantiæ habet quidem pro termino a quo ſubſtantiam panis,& pro termino ad quem, ſubſtantiam corporis Chriſti: ſed non habet illas ſubſtantias pro terminis, quo ad eſſe & non eſſe ſimpliciter, ſed ſolum quo ad eſſe hîc.

Cum ergo ſubſtantia Corporis Chriſti, fiat per conuerſionē adductiuam, vbi prius erat ſubſtantia panis: ſequitur ſubſtantiam panis non propriè annihilari per talem conuerſionem: ergo conuerſio adductiua, non

est annihilatiua substantiæ panis, sed solum adductiua substantiæ corporis Christi, in illud vbi, in quo erat prius substantia panis: loquendo ergo de tota transubstantiatione adductiua, non est annihilatio: quia presentia corporis Christi, est terminus vltimus eiusdem conuersionis, & hoc non impedit, vt primus terminus desitionis panis non sit nihil.

2. Propositio Scoti est, quod desitio panis non est annihilatio, sustinendo conuersionem, esse productiuam: quia licet desitio panis terminetur ad esse simpliciter corporis Christi, præexistens; ille tamen terminus non est terminus per se desitionis, sed per accidens. Vnde licet corpus Christi, qui est terminus positiuus ad quem conuersionis, sit terminus accidentalis ipsi desitioni vt est motus; est tamen ratio distinguendi conuersionem ab annihilatione: quia non est solum attendenda desitio in annihilatione: sed etiam modus desitionis; nam in generatione, forma etiam ita desinit esse ac si esset annihilata, & tamen generatio non terminatur ad annihilationem: quia forma in potentia remanet in subiecto, scilicet in materia, de cuius sinu educta est.

Quod autem annihilatur, ad nullum subiectum desinit: & ita quod conuertitur, terminatur ad negationem existentem in genere, scilicet ad disparatum:

Ista enim conuersio distinguitur ab annihilatione, quod annihilatio habet negationem extra genus, pro termino ad quem: conuersio vero, habet negationem in genere, scilicet disparato, & in hoc conuenit cum corruptione, quæ etiam terminatur ad negationem in disparato: vt cum aër corrumpitur in ignem, negatio formæ aeris dicitur esse in igne tanquam in disparato.

Licet ergo talis conuersio conueniat cum annihilatione, in duabus conditionibus. Scilicet quia id quod conuertitur, non manet eius materia, neque terminatur ad priuationem, quæ est negatio in subiecto apto nato: non tamen conuenit in tertia, scilicet quod terminetur ad negationem extra genus: quæ est nihil, quia terminatur ad negationem in genere: scilicet in disparato id est in corpore Christi, ergo talis non est annihilatiua; sed productiua presentiæ corporis Christi.

De inhærentia actuali accidentis in Sacramento.

Sectio XLXII.

DVo sunt hic prænotanda ex Scoto: vt intelligatur quomodo sit possibile accidens esse sine subiecto in Sacramento Eucharistiæ. Primum est quod accidens duobus modis accipi potest, pro formali, & pro materiali: pro formali, est ipsa inhęrentia siue accidentalitas, quæ non est aliud, quam respectus ad subiectum, & tunc accidens sic acceptum non potest esse sine subiecto, vnde sicut inhęrentia actualis non potest esse actu, sine subiecto; ita inhęrentia aptitudinalis non potest esse aptitudinaliter sine subiecto.

Accidens verò pro materiali, vel est respectiuum, vel absolutum; si respectiuum, tunc non potest esse sine subiecto actualiter & aptitudinaliter; quia est habitudo inter duo extrema, quorum vno destructo, statim tollitur respectus: ergo sicut ablato termino, cessat relatio, ita ablato fundamento, destruitur respectus: vnde talis respe-

ctus non potest esse sine fundamento, non inquantum accidens (addit Scotus) sed in quantum est respectus.

Secundo notandum est accidens absolutum, posse existere in rerũ natura sine inhærentia actuali, non verò sine aptitudinali: vnde licet sit actualiter separatum a subiecto, tamen habet aptitudinem ad inhærendum eidem subiecto, quæ quidem aptitudo secundum Scotum, inseparabilis est a subiecto, quia est proprietas essentialis accidentis: idest competens illi in secundo modo dicendi per se. Non autem, quia sit de quidditate & essentia accidẽtis, & in primo modo dicendi per se vt volunt Thomistæ.

His prænotatis: probat Scotus inhærentiam actualem accidentis esse separabilem a subiecto, hoc pacto: si accidens absolutum vt quantitas, &c. non posset esse actu sine subiecto; hoc accideret ex eo, quod tale accidens dependet essentialiter a substantia: sed sic non est. Minor probatur, primo: quia subiectum non est de essentia accidentis; quia tunc homo albus non esset ens per accidens, quod est contra Philosophum 5. Metaph. cap. de ente, tex. 13. de

vno text. 7. & 7. Metaph. c.3. text. 12. Patet consequentia: quia addendo alicui id quod est de essentia eius vt addendo animal homini, non fit vnum per accidens; sed vnum per se: quando verò additur ens perse, quod nec est de essentia eius, nec propria passio eiusdem, facit vnum cum eo per accidens; accidens autem sic est ens: ergo non est de essentia substantiæ.

2. Quia Deus potest supplere causalitatem cuiuscumque causæ extrinsecæ, respectu causati: ergo licet, accidens pendeat essentialiter effectiuè a substantia creata, Deus tamen potest supplere illam causalitatem effectiuam causæ secundæ & sic potest facere vt accidens existat sine subiecto: vnde subiectum non est causa materialis accidentis, vt aliqui putant quia vt habet Aristoteles 8. Metaph. text. 12. *Accidentia non habent materiam ex qua sed in qua, sed sunt formæ simplices.*

Quando ergo inquit Scotus, Philosophus dicit 1. Physico. text. 39. & 7. Metaphy. text. 3. *Intellectus quærens segregationem passionum a subiecto, erit quærens impossibilia.* Non vult asserere quod sit impossibile ab intrinseco separare passionem, idest

accidens a ſubiecto: ſed voluit dicere eſſe impoſſibile ab extrinſeco. Ideſt, propter ordinem cauſarum naturaliter ordinatarum, qui non poteſt aufferri, nec impediri ſecundum Philoſophos: quia ſi hoc intelligeretur de impoſſibilitate intrinſeca, ſequeretur duo contradictoria verificari de eodem: ſequeretur enim accidens eſſe idem realiter quod ſubſtantia: quo poſito deſtrueretur accidens, etiam ſubſtantia quæ tamen manet: ergo idem maneret & non maneret, eſſet & non eſſet.

Theologi verò negant hunc ordinem accidentis ad ſubiectum eſſe neceſſarium reſpectu potentiæ Dei abſolutæ: vnde licèt accidens ſeparatum a ſubiecto, habeat aliũ modum eſſendi, quàm prius; hic tamen modus eſſendi nouus, non addit aliquid poſitiuum, ſed tantum negationem prioris modi eſſendi, ſcilicet inhęrentiæ actualis, quæ erat accidens ſeparabile ab accidente abſoluto: in hoc ſolum eſt differentia; quod vbi prius entitas accidentis dependebat in iſto a ſubſtantia, poſt ſeparationem, dependet in iſto eodem eſſe, & in conſeruari a ſolo Deo, ſupplente cauſalitatem ſubiecti, & ita nulla fit mutatio ex parte accidentis,

nec

nec additio alicuius entitatis ipsi entitati accidentis, vt volunt Thomistæ, Suares, & multi alij.

Accidens etiam sine subiecto existens, non manet violenter, nec naturaliter, sed supernaturaliter. Melius etiam est accidens manere sine subiecto virtute diuina, quàm dicere istud accidens habere modum substantiæ, manendo accidens; esset enim constituere maximum miraculum.

De existentia accidentis sine subiecto in sacramento.

SECTIO LIII.

DVplex assignatur à Scoto subiectum accidentis: primum, quod terminat vltimatè dependentiam accidentis: secundum, quod terminat illam proximè. His positis, tenet Scotus solam substantiam esse subiectum vltimate terminans dependentiam accidentis, quia licet alia accidentia fundentur in quanti-

tate, tamen inclinantur terminari vltimate ad substantiam.

Tenet etiam, accidens aliquod posse esse subiectum proxime terminans dependentiam accidentis, vt patet de quantitate respectu qualitatis, & specieb. sacramentalibus respectu aliquarum relationum.

Habet etiam Scotus, accidens absolutum posse esse sine vtroque subiecto, tam vltimate, quàm proximè terminante dependentiam eius: quia si quantitas possit esse sine subiecto, multo magis qualitas cùm sit perfectior.

Vnde licet sit propinquior substantiæ in ratione substandi, qualitas tamen ei propinquior est in ratione actus, & actiuitatis: nam qualitas est principium agendi, quod nullo modo competit quantitati.

Quod autem quantitas possit esse sine subiecto, probatum est suprà, vbi ostendebat Scotus, non repugnare accidenti absoluto, intrinsece esse sine substantia: sed solùm extrinsece, scilicet, propter ordinem vniuersi, quod potest aufferri per potentiam Dei absolutam.

Probat insuper Scotus, qualitates esse

in quantitate, tanquam in subiecto: quia qualitas panis in sacramento est extensa, vt ad sensum patet: non est autem extensa propria, & intrinseca extensione, quia quantitas distinguitur realiter à qualitate: ergo recipit extensionem à quantitate.

Præterea, licet qualitas separata, sit insensibilis, & indiuisibilis in potentia propinqua: tamen est sensibilis, & diuisibilis in potentia remota: vnde qualitas separata à quantitate non potest videri actu, sed potentia remota, scilicet, cùm fuerit vnita quantitati; & ita etiam dicitur corporalis, & spiritualis: corporalis, quia esset apta nata informare corpus; & spiritualis, quia actu non informaret corpus.

De efficientia accidentis separati à subiecto.

Sectio LIV.

TEnet Scotus, contra Thomistas, accidens separatum non posse esse principium instrumentale producendi

substantiam. Probatur, quia accidens coniunctum non est causa instrumentalis productiua substantiæ: ergo neque separatum. Antecedens patet, quia Scotus tantùm concedit accidens coniunctum esse causam instrumentalem dispositiuã: quia efficit dispositiones præuias ad introductionem formæ substantialis, non autem productiuam: quia causa instrumentalis productiua debet habere formam, quæ nata sit influere in effectum, ad quem applicatur à principali agente. Accidens autem, secundum Thomistas, non habet formam, immo agit in virtute substantiæ, inquiunt: ergo non potest esse causa instrumentalis ad producendum substantiam.

Consequẽtia etiam probatur, quia substantia habet minorem virtutem in accidente separato, quàm coniuncto, cùm illa non adsit: ergo, &c.

Affirmat iterum Scotus, accidens separatum, vt pote qualitatem, posse esse principium actionis intentionalis in sensum, & in intellectum, necnon realis in suum contrarium. Vbi notandum est cum Scoto, actionem realem, & inten-

tionalem, eſſe duas actiones: quia actio eſt relatio extrinſecus aduenlens, oppoſi-ſita paſſioni.

At relationes diſtinguntur à terminis, ſcilicet, à paſsis: paſſum autem proportionatum actioni ſenſitiuæ, eſt intentionale, quia organum intentionaliter recipit: paſſum etiam proportionatum actioni reali, eſt paſſum reale: ergo ſunt diuerſa paſſa, & per conſequens, ſunt duæ actiones.

Notandum eſt etiam cum Scoto, quod accidens non corrumpit ſubſtantiam corrumpendam: ſed ipſa corrumpitur ſolùm à forma ſubſtantiali: accidens autem illam corrumpit ſolùm diſpoſitiue: quia alterat accidentia, quę ſunt in paſſo, vſque ad vltimum gradum, qui eſt prope incompoſsibilis, nec vlterius progreditur. Vnde poſito quod accidentia ſeparata alterarent ita ſubſtantiam, vt diſponerent ad corruptionem formæ ſubſtantialis eius, non poſſet reperiri agens in tota natura corrumpens illam formam, & nouam aliam inducens: ſed corrumperetur, vel produceretur à cælo, vel ab ipſo Deo.

Tenet etiam Scotus, accidens separatum non posse alterare gradum qualitatis incompossibilem ipsi formæ substantiali, cui inhæret, quia forma substantialis resistit virtuti accidentis: bene autem accidens coniunctum substantiæ, quia substantia illum gradum corrumperet.

Quod si vtrumque accidens esset separatum à substantia, non dubitat Scotus quod intentius accidens agens corrumperet vltimum gradum alterius.

His positis, probat Scotus accidens separatum posse esse principium actionis realis, & intentionalis. Hoc pacto, forma illa est principium actionis, quæ assimilat sibi passum: sed qualitas assimilat sibi passum in actione reali, vt patet: nam calidum agens in subiectum affectum qualitate contraria, reddit illud simile.

Quod si qualitas in actione reali assimilat sibi passum, multo magis in actione intentionali poterit assimilare sibi sensum, & intellectum: quia similitudo realis est perfectior similitudine intentionali; quod si similitudo intentionalis habeat maiorem perfectionem similitudine reali,

hoc non prouenit à qualitate sensibili, sed à perfectione potentiæ sensitiuæ.

De mutationibus quæ fiunt in Eucharistia, facta consecratione.

SECTIO LV.

Scotus notat fieri quatuor mutationes in sacramento Eucharistiæ. Prima est secundum vbi, quæ est localis: nam experientia constat, species sacramentales mutari de loco ad locum, de vno altari ad aliud. Subiectum autem illius motus est quantitas: corpus enim mouetur super quantum, & est in quanto, vt in loco.

Secunda est secundum qualitatem, sine mutatione quantitatis: nam alteratio de facto est in accidentibus Eucharistiæ, manente ipsa Eucharistia: vnde possunt illæ qualitates alterari, puta, calefieri, & frigefieri; & ipsa quantitas est etiam subiectum alterationis, secundum viam communem: qualitates enim fundantur in quantitate, tanquam in subiecto proximo.

Alteratio autem, quæ fit secundum qualitates, manente Eucharistia, est duplex: vna secundum diuersam figurationem; figura enim est qualitas de quarta specie qualitatis: ideo cùm quantitas recipit diuersas figuras in vino, alteratur.

Docet etiam Scotus, figuram vltra quantitatem non dicere aliud, nisi relationem partium ad se inuicem, vel relationem terminorum includentium partes, quæ mutari potest sine mutatione partium in se, vel in toto.

Dices: Aristoteles posuit figuram in quarta specie qualitatis: ergo non est relatio, vt asserit Scotus. Respondetur, figuram esse qualitatem, inquantum denominat subiectum per modum qualitatis; non quod velit asserere Philosophus, figuram esse essentialiter qualitatem: vel dicendum est, solam illam figuram esse qualitatem de quarta specie, quæ consequitur naturam rei, & quæ non potest ab ea separari, nec mutari in illa re, vt figura trianguli in triangulo.

Vnde Aristoteles non dixit figuram esse qualitatem, sed, *Circa vnum quod constans figura*: cùm ergo figura trianguli, &

quadranguli, sint proprietates suorum subiectorum, iure dicuntur qualitates secundum quas subiecta dicuntur qualia.

Alia mutatio est secundum qualitatem, quam concomitatur variatio secundum quantitatem, quæ fit secundum magis & minus in eadem qualitate, nec qualitas corrumpitur, vt cùm vnum subiectum modo est magis, modo minus calidum; & patet etiam quantitatem esse subiectum harum qualitatum.

Tertia est secundum quantitatem, & qualitatem, quæ fit simul secundum rarum & densum: nam ad sensum patet, quod species, præsertim vini, possunt rarefieri, & condensari per frigiditatem, & calefactionem, & in hac difficile est inuenire subiectum, super quod fiat hæc mutatio.

De rarefactione quantitatis in Sacramento.

SECTIO LVI.

SCotus docet, rarefactionem fieri in accidentibus sine subiecto, non quidem ab agente creato, sed à solo Deo. Prima pars probatur, quia raritas fit per acquisitionem nouæ quantitatis secundum partem tantùm: ergo illa pars nouæ quantitatis producetur aliqua mutatione, in qua non erit subiectum, quia quantitas in Eucharistia est sine subiecto: ergo acquisitio nouæ partis quantitatis in Eucharistia, est motus sine subiecto.

Secunda pars probatur: primò, quod immediatè conseruatur à Deo, non potest corrumpi ab agente creato: sed talia sunt accidentia separata Eucharistiæ: ergo non possunt corrumpi effectiuè ab agente creato. Maior probatur, quia nulla virtus creata potest habere virtutem conseruatiuam accidentium illorum separatorum, cùm sit virtus diuina, & su-

pernaturalis. Minor est euidens.

Secundò, quantitas non corrumpitur in subjecto per contrarium, quia non habet contrarium: *Quantitati enim nihil est contrarium*, ex Philosopho: ergo corruptio eius prouenit ex defectu subjecti, vel alicuius requisiti ad quantitatem: at quantitas in Eucharistia non potest corrumpi per ablationem subiecti, quia iam est sine subjecto; neque ratione alicuius consequentis ad ipsam, quia omnia alia accidentia quæ sunt in quantitate, insunt illi accidentaliter: ergo ab agente naturali non est corruptibilis: ergo à solo Deo.

Vnde Scotus tenet, quantitatem nouam in rarefactione produci à solo Deo immediatè, non tamen nouo miraculo, sed antiquo: quia ea voluntate, qua disposuit Eucharistiam esse in Ecclesia; disposuit quoque causare talem transmutationem, præsente actiuo naturali circa illas species, qualem in substantijs conuersis, si adessent, causaret agens naturale; & hoc, ne meritum fidei euacuaretur, quod fieret, si videremus species intrasmutabiles: iudicaremus enim facile ibi non esse substantiam panis, sed aliquid diuinum.

De rarefactione quantitatis in Sacramento.

SECTIO LVI.

SCotus docet, rarefactionem fieri in accidentibus sine subiecto, non quidem ab agente creato, sed à solo Deo. Prima pars probatur, quia raritas fit per acquisitionem nouæ quantitatis secundum partem tantùm: ergo illa pars nouæ quantitatis producetur aliqua mutatione, in qua non erit subiectum, quia quantitas in Eucharistia est sine subiecto: ergo acquisitio nouæ partis quantitatis in Eucharistia, est motus sine subiecto.

Secunda pars probatur: primò, quod immediatè conseruatur à Deo, non potest corrumpi ab agente creato: sed talia sunt accidentia separata Eucharistiæ: ergo non possunt corrumpi effectiuè ab agente creato. Maior probatur, quia nulla virtus creata potest habere virtutem conseruatiuam accidentium illorum separatorum, cùm sit virtus diuina, & su-

pernaturalis. Minor est euidens.

Secundò, quantitas non corrumpitur in subiecto per contrarium, quia non habet contrarium: *Quantitati enim nihil est contrarium*, ex Philosopho: ergo corruptio eius prouenit ex defectu subiecti, vel alicuius requisiti ad quantitatem: at quantitas in Eucharistia non potest corrumpi per ablationem subiecti, quia iam est sine subiecto; neque ratione alicuius consequentis ad ipsam, quia omnia alia accidentia quæ sunt in quantitate, insunt illi accidentaliter: ergo ab agente naturali non est corruptibilis: ergo à solo Deo.

Vnde Scotus tenet, quantitatem nouam in rarefactione produci à solo Deo immediatè, non tamen nouo miraculo, sed antiquo: quia ea voluntate, qua disposuit Eucharistiam esse in Ecclesia; disposuit quoque causare talem transmutationem, præsente actiuo naturali circa illas species, qualem in substantijs conuersis, si adessent, causaret agens naturale; & hoc, ne meritum fidei euacuaretur, quod fieret, si videremus species intrasmutabiles: iudicaremus enim facile ibi non esse substantiam panis, sed aliquid diuinum.

Tertiò probatur, quia hic modus dicendi non potest impugnari, neque per sensum, neque per rationem: non per sensum, quia saluat omnia, quæ apparent sensui: neque per rationem, quia si aliqua ratio ad istud esset efficax, maximè esset ista: quia videtur aufferre ab agente naturali suam propriam actionem, & illam tribuere Deo. Sed hæc ratio non habet vim; quia hic modus dicendi tribuit agenti naturali omnem actionem sibi possibilem competere, scilicet, omnes illas mutationes, quæ fiunt in subjecto.

Quarta mutatio, quæ est secundum quantitatem in se, & primo, assignatur duplex. Prima, secundum augmentum, & decrementum propriè; & illa non reperitur in accidentibus separatis, quia augmentatio & diminutio fit tantùm in animatis: species autem istæ accidentales sunt inanimatæ.

Secunda est, secundum appositionem, & ablationem; & hæc potest esse in istis accidentibus: quia superficies hostiæ potest diuidi in partes, & ei apponi similiter, & potest apponi aliquod aliud quantum superficiei vini.

Ipsa autem mutatio, quo ad diuisionem non habet subjectum, quia etiam diuisio quantitatis in subjecto non est mutatio aliqua subjecti: quando enim diuiditur aliqua quantitas in partes, non mutatur illud subjectum, sed solùm partes, (quæ erant distinctæ in potentia:) actu reducuntur ad distinctionem, & fiunt distinctæ actu Si ergo non est quærendum subjectum in hac diuisione, super quod talis diuisio fiat: multo minus in his accidentibus separatis est quærendum subjectum, in quo fiat ipsa diuisio.

Licet ergo agens creatum non possit agere in quantitate separata, rarefaciendo illam, vel condensando; potest tamen facere diuisionē cum ipsa, licet ex sua natura non requirat subjectum, in quo fiat, & sine quo agens naturale non potest agere: ideo licet hic non adsit, non impedit actionem agentis naturalis.

Quantum etiam ad appositionem Scotus dicit, illam fieri sine vllo proprie dicto subjecto: nam, *Hoc est commune*, inquit, *omni vnioni, & diuisioni, vt nullum subiectum habeant, quod efficiatur ab ipsis.* Sed in eis nullum aliud subiectum commune

manet, nisi entitates partium vnitarum, vel diuisarum; vnde vniuersaliter transmutatio illa est priuatiua in diuisione partium, & positiua in continuatione; & propterea etiam potest fieri ab agente creato.

Potest etiam fieri aliqua mutatio in quantitate, sine corruptione substantiæ: quia illa additio quantitatis corrumpit Eucharistiam, quæ non potest manere cum substantia panis, si adesset. Sed clarum est, quod si hostia consecrata aliquo pacto augeretur in quantitate, dummodo non esset notabilis additio quantitatis, adhuc ibi maneret substantia panis: ergo potest quoque addi noua quantitas in Eucharistia, sine corruptione Eucharistiæ; & ita non requiritur aliquod subiectum propriè dictum, propter ipsas partes additas. Vnde hæc appositio, secundum se, est motus sine subiecto, & potest fieri ab agente naturali eadem ratione, qua probatum est de diuisione.

De transmutatione corruptiua circa accidentia Eucharistiæ.

Sectio LVII.

Tenet Scotus, agens naturale posse alterare, & corrumpere accidentia Eucharistiæ, scilicet qualitates contrarias; quia non est necesse vt ipsa quantitas desinat esse, vel mutetur in quacunque mutatione inter qualitates contrarias: quando autem manet subiectum, non est impossibile agens naturale agere, & efficere motum ex illo. Vnde sequitur, agens naturale posse corrumpere Eucharistiam; quia agens naturale potest inducere talem alterationem in accidentibus, quæ non posset manere cum substantia panis, si adesset sub illis accidentibus.

Deus autem decreuit, corpus Christi tandiu manere sub illis accidentibus, quandiu qualitates ibi manent, natæ perficere substantiam panis & vini, si ibi adesset: ergo agens naturale simpliciter potest facere, vt Eucharistia desinat esse sine

aliquo miraculo nouo; quia eadem voluntate antiqua, qua Deus voluit Euchariſtiam eſſe in Eccleſia, voluit etiam illam non manere, niſi quandiu qualitates aptæ natæ ſunt perficere ſubſtantias iam conuerſas.

Loquendo verò de corruptione quantitatis, non poteſt fieri, niſi ab agente ſupernaturali: quia nulla creatura poteſt agere in formam exiſtentem ſine ſubiecto: quantitas autem eſt forma ſine ſubiecto: ergo agens naturale non poteſt agere in illam.

Vtrum redeat aliqua ſubſtantia poſita aliqua tranſmutatione in Euchariſtia.

SECTIO LVIII.

SCotus reſpondet per quatuor concluſiones, quarum prima eſt. Non eſt neceſſe ſubſtantiam redire in tranſmutatione eorum, quæ fiunt in Euchariſtia, actione diuina, aut actione agentis naturalis: quia illæ tranſmutationes ſunt alterationes,

rationes, quæ fiunt in quantitate, tanquam in subjecto: quantitas autem est subjectum susceptiuum cuiuscunq; gradus qualitatis, à primo ad vltimum: ergo vt fiant istæ alterationes in qualitatibus existentibus in Eucharistia, non est necesse vt redeat aliqua substantia, sed sufficit ipsa quantitas; quia illa quantitas non determinat sibi aliquem gradum qualitatis, vltra quem, alium recipere non possit. Vnde potest fieri frigiditas in ipsa, & caliditas expelli.

Conclusio secunda. Substantia non redit, aut materia de facto, in transmutationibus, in quibus manet Eucharistia; quia Eucharistia manente, manet ibi corpus Christi, & accidentia sunt sine subjecto: ergo non redit vlla alia substantia per illas alterationes.

Conclusio tertia. Non est etiam necesse aliquam substantiam redire in transmutationibus corruptiuis Eucharistiæ, in quibus manet eadem quantitas, vt subjectum illarum transmutationum: quia transmutationes corruptiuæ possunt etiã fieri in eadem quantitate, quæ manet: nam potest caliditas esse tanta, vt cor-

rumperet substantiam panis & vini, si ibi esset; & tamen non mutat, aut corrumpit quantitatem.

Conclusio quarta. Substantia de facto redit in transmutationibus, quæ corrumpunt Eucharistiam, siue sint alterationes, siue motus in quantitate: talis autem substantia est composita, siue substantia secunda, cui talia accidentia conuenirent, & quam etiam ipsa accidentia afficiunt in instanti corruptionis, & à Deo immediate.

Prima pars probatur: quia Deus statuit illas species in Eucharistia manentes, esse præcise sine subjecto, & non alibi: ergo statuit, quod cessante Eucharistia, illæ species non sint sine subjecto; & per consequens, decreuit aliquam substantiam in ipso instanti corruptionis esse sub illis accidentibus.

Secunda pars probatur: quia si redeat ibi aliqua substantia de nouo, ea est, quæ potest illis nouis accidentibus affici: alia enim non est capax ipsorum accidẽtium, & ita est substantia composita.

Tertia pars probatur: quia nullum aliud agens habet virtutem actiuam sufficien-

tem ad hoc: nam agens creatum non potest creare materiam, quæ de nouo creatur: ergo eius inductio non potest fieri ab agente naturali.

Tenet etiam Scotus, tot posse fieri transmutationes in Eucharistia, ipsa manente, quot fient alterationes, per quas non inducitur aliquid incompossibile pani, si maneret.

Transmutatio autem corruptiua Eucharistiæ secundum qualitatem ex Scoto, est alteratio quæ attingit illum gradum, secundum quem non posset stare cum pane, si maneret, etiam si eadem quantitas maneat.

Transmutatio verò corruptiua substantiæ secundum quantitatem, ea est, quæ diuidit substantiam in partes ita minutas, vt substantia panis non posset manere sub altera illarum.

Notabis etiam secundum Scotum, agẽs naturale non agere in materiam nudam, sed in substantiam completam, quæ prius natura producitur à Deo miraculosè; & deinde agens naturale incipit agere modo naturali, quo agit in alias substantias,

corrumpendo illas, & ex illis generando aliquid.

De mixtione liquoris cum Eucharistia.

SECTIO LIX.

MIxtio propriè dicta 2. de generatione, capite de mixtione, est miscibilium alteratorum, & deinde vnio corruptorum: vnde in vera mixtione est generatio nouæ formæ substantialis, scilicet formæ mixti, & miscibilia transeunt in tertiam materiam, quæ est mixtum.

Vbi notandum est, perfectam mixtionem non posse fieri inter ea quæ sunt eiusdem speciei: nam generatio & corruptio fiunt ex contrarijs, quorum vnum agit in alterum: aqua enim non generatur ex aqua.

Scotus q. 4. §. ad quæst. versiculo *Contra hoc.* primò dicit, quod si vinum non consecratum apponatur vino consecrato, quantitas vini consecrati erit quidem sine subjecto, non autem quantitas vini

non conſecrati: habebit enim ſuum ſubjectum. Idem habetur *de celebratione Miſſ.* *c. Cùm Marthæ.* §. *quæſiuiſti.* vbi dicitur: Si poſt calicis cõſecrationem mittatur aliud vinum in calicem, non tranſibit in ſanguinem, ſed manebit commixtum ſpeciebum conſecratis; quia ibi non eſt perfecta mixtio, ſed iuxta poſitio, ſecundum definitiones perfectæ mixtionis. Idem dicendum eſt de ſpeciebus vini conſecratis, quæ mixtæ non efficiunt vinum tertium, & ſunt idem numero, quod erant ante mixtionem.

Reſolutè ergo dicendum eſt cum Scoto, quod ſi miſceatur vinum non conſecratum vino conſecrato, ſub ſpeciebus vini conſecrati ſemper manet ſanguis Chriſti; quia hæc non eſt vera mixtio, ſed iuxta poſitio, in qua partes vini conſecrati non corrumpuntur, ſed manent eędem, ideo ſanguis Chriſti manet quoque ſub illis; ex quo ſequitur, à pari, quod in quacunque mixtione alicuius liquoris eiuſdem ſpeciei cum vino ſi datur, nunquam Euchariſtia mutabitur, vel corrumpetur.

Vnde ſi vinum album miſceatur vino nigro, mutabuntur ſolùm accidentaliter,

& propria substantia non desinet esse sub illis. Quod si vinum est consecratum, manebunt species eiusdem sine substantia. Si aliud non est consecratum, species eius manebunt cum substantia vini.

Si pauca quantitas vini consecrati mitteretur in doliū vini, vinum non consecraretur, quia particula vini consecrati non habet vim consecrādi; & dato quod haberet, non est possibile omnes partes vini illius dolij tangere illas particulas specierum consecratarum; & quia sunt verè in ipso dolio species consecratæ, ideo ob reuerentiam sanguinis Christi, non teneretur pro vino communi; sed pro vino benedicto, vt ait Richardus, ex contractu illarum specierum; & licet non tangant omnes partes vini, vel tetigerint illas species: tamen quia ignoranter quæ sint illæ partes quæ tetigerint, vinum illud est separandum, & vsui sacro reseruandum.

Liquor alterius speciei æqualis virtutis, appositus speciebus consecratis, antequam perfectè misceatur, agendo mutuò, & repatiendo, non destruit Eucharistiam; quia cùm non sit adhuc facta

mixtio, non eſt etiam corruptio, in tertium.

Si verò magna quantitas aquæ apponatur alicui portioni paruæ vini, tunc deſinet ibi eſſe Euchariſtia: quia in tali quantitate ſuperat vim actiuam vini conſecrati.

Quod ſi virtus actiua ſpecierum vini conſecrati ſit maior, ſuperando vim actiuam liquoris non conſecrati: puta ſi vna gutta aquæ miſceatur magnæ quantitati, & in vinum conuertat, ſub illis ſpeciebus conſecratis manet ſanguis Chriſti, quia illæ ſpecies conſecratæ non corrumpuntur ex hac generatione ſicut nec ſubſtantia vini, ſi eſſet ſub illis, corrumperetur per illam modicam aquam conuerſam in ſeipſum.

Ipſa autem gutta aquæ conuerteretur tantùm in vinum, & introduceretur ſubſtantia vini ſub eius quantitate, & accidentibus: ſicut ſi ſubſtantia ipſa vini eſſet conuerſa in vinum. Vnde ita iuxta poſita ſpeciebus conſecratis, maneret, quibus eſſet mixta imperfectè

Non ſic vero eſt de aqua benedicta cuius aliqua pars, mixta cum alia non bene-

dicta, totam redit benedictam: quia Ecclesia voluit, vt prior benedictio aquæ benedictæ extenderetur quoq; ad aliam aquam illi admixtam.

Eucharistia autem fit tantum per consecrationem quæ non se extendit ad materiam absentem, sed præsentem.

De actione diuina qua fit Sacramentum.

SECTIO LX.

ACtio propriè dicta secundum Scotum, & de genere actionis, est relatio extrinsecus adueniens agentis ad passum siue transmutantis ad transmutatum; & propterea inquit Scotus non reperitur in Deo ad intra neque ad extra, quia deficit ibi passum: & primo ad intra, non producit illum, de aliquo potentiali, vel quasi potentiali. 2. nec ad extra, quia quando Deus creat ad extra non creat de aliquo passiuo transmutato.

Deinde ad intra nullus est respectus extrinsecus adueniens, sed intrinsecus: pas.

ſio autem correſpondens actioni propriè dictæ eſt reſpectus extrinſecus adueniens.

Creatio etiam ad extra non eſt propriè paſſio, quia non eſt relatio extrinſecus adueniens cum relatio creaturæ ad Deum ſit ita connexa neceſſario fundamento, vt non poſſit eſſe ſine illo, quia eſt idem realiter illi, & ſolum diſtincta formaliter.

Si vero actio ſumatur impropriè ſcilicet pro aliquo correſpondente actioni propriè, eſt actio in diuinus ad intra & ad extra, ſolùm eſt differentia: quod actio & paſſio ad intra eſt relatio realis, in fundamento & termino, ad extra vero, eſt relatio rationis ex parte Dei, & realis ex parte creaturæ.

His poſitis Scotus tenet actionem diuinam, vt eſt relatio agentis ad rem actam non verò ad paſſum, reperiri in tranſſubſtantiatione, quia ibi eſt nouus effectus.

Si vero loquamur de actione Dei propriè dicta cui correſpondet propriè paſſio correſpondens tali actioni, tunc non reperitur in tranſſubſtantiatione productiua: quia in ea nullum remanet paſſum:

sed solum in transsubstātiatione adductiua: quia in ea est relatio noua præsentiæ hic in corpore Christi, quæ quidem relatio, est passio propriè correspondens actioni Dei proportionatæ actioni de genere actionis.

Notandum est autem pro declaratione actionis propriè dicta: quod quando agens producit aliquam formam in passum: non producit illam formam in passum mediante actione, vt puta calefactione, tanquam principio quo, quia tunc actio illa esset forma absoluta; sed ipsum agens agit in passum per suam formam qua constituitur in suo esse formali.

Quando ergo dicitur, Deus productione producit, vel actione agit, idem est ac si diceremus Deus relatione producit: relatio autem non est actiua. Si dicas, ergo creare esset tantum referri: negatur, quia creare significat quidem relationem de principali significato: sed tamen connotat actum essentialem diuinum, qui est quid absolutum, & ipsa essentia diuina realiter, & connotat illum absolutè, & vt etiam transit super obiectum ad extra.

De cauſa inſtrumentali conuerſionis panis in corpus Chriſti.

SECTIO LXI.

TEnet Scotus creaturam, vt agens principale, non poſſe efficere tranſſubſtantiationem: quia illud agens tantum hanc conuerſionem efficere poteſt, quod habet vtrumque extremum totaliter in ſua poteſtate, quoad eſſe & non eſſe, ſed ſic non eſt: quia omne agens creatum neceſſario requirit ſubiectum ſuper quod agat, neque poteſt producere aliquid de nihilo & totaliter.

Vnde in propoſito, Scotus dicit: Nullam creaturam poſſe creare, tanquam causâ inſtrumentalē Phiſicâ: neque attingere productionem gratię, quæ eſt terminus creationis, ſi vero ſumatur inſtrumentum pro cauſa inſtrumentali morali, ſiue pro diſpoſitione neceſsitante ad gratiam, ex pacto diuino, tunc aſſerit Scotus ſacramenta efficere gratiam: & ſic ſumendo inſtrumentum pro agente diſpoſitiuo

ad effectum agentis principalis: agens etiam creatum, scilicet, minister, est causa instrumentalis effectiua moraliter, tantum, siue ex pacto diuino conuersionis.

Probatur. Quia minister habet actionem propriam humanam, prçuiam actioni diuinæ, tanquam dispositionem necessariam, non quidem simpliciter, sed ex ordinatione Dei pascis centis cum Ecclesia, se facturum conuersionem concurrente actu ministri; & sic dicendum est in omnibus sacramentis, in quibus minister requiritur: quod declarat Scotus hoc exemplo.

Sicut sectio ligni, est quædam præuia actio, ad quam sequitur forma scamni, ex ordine agentis principalis; ita prolatio verborum posset dici actio instrumentalis, respectu confectionis corporis Christi, quia talis confectio sequitur illam prolationem ex ordinatione diuina, & sic corpus Christi conficitur actione creaturæ, vt agentis instrumentalis, eo modo, quo agens præuium dicitur agere instrumẽtaliter ad formam principalem, quam non attingit, sicut attingit instrumentum physicum terminum principalis agentis:

cauſa autem principalis conficientis Euchariſtiam, eſt ſolus Deus.

De miniſtro ſacramenti Euchariſtiæ.

Sectio LXII.

Miniſter huius ſacramenti debet eſſe Sacerdos, qui poſſit proferre verba conſecrationis, & habere debitam intentionem, itaut ſi alius non Sacerdos attentet, nihil faciet. Quod autem miniſter debeat eſſe Sacerdos, probatur per illud, *Extra de ſumma Trinitate, & fide Catholica*, vbi dicitur, *Hoc ſacramentum nemo poteſt conficere, niſi Sacerdos, qui ritè fuerit ordinatus ſecundum claues Eccleſiæ.* Iſtud autem decretum Eccleſię fundatur in illis verbis, *Hoc facite in meam commemorationem. Lucæ* 22. Quibus verbis Chriſtus Dominus dabat ſuis Apoſtolis poteſtatem conficiendi Euchariſtiam.

Dando autem ipſam poteſtatem Apoſtolis, ſimul etiam dedit ſucceſſorib. ſuis, qui Eccleſiam poſt Apoſtolos erant gu-

bernaturi: necnon etiam potestatem substituendi, & ordinandi alios.

Vnde sicut Episcopi succedunt Apostolis, & Presbyteri Discipulis; ita authoritas data Apostolis à Christo, vt conficerent Eucharistiam, & alijs darent potestatem ad eandem conficiendam.

Data est quoque Episcopis, vt ipsi conficiant, & alijs dent eandem facultatem conficiendi corpus Christi, qui sunt Presbyteri: quod fit, dum ordinem sacrum presbyteratus suscipiunt ab Episcopis. Et hoc maximè congruebat, primò, quia ad tantum ministerium oportebat ministros esse singulari modo consecratos, & sanctificatos. Secundò, quia, vt ait Apostolus 9. Hebr. munus sacerdotale non est commune omnibus hominibus, sed eis, qui specialiter assumuntur à Deo, & pro hominibus constituuntur in his quæ sunt ad Deum.

Notat etiam Scotus, quod qui caret sacerdotio, non solùm nihil facit attentando, sed peccat mortaliter, & fit irregularis, vt habetur, *Extra de Clerico non ordinato ministrante, cap. 1. & 2.*

Sacerdos etiam debet esse potens pro-

ferre verba consecrationis; & propter hunc defectum mutus non potest conficere sacramentum.

Item Sacerdos debet etiam habere intentionem debitam faciendi quod Ecclesia intendit facere; & sic amens non potest conficere hoc sacramentum: quia cùm careat recta ratione, non potest habere intentionem debitam.

Suares tenet ignorantiam Sacerdotis, seu intentionem erroneam particularem, & priuatam non impedire effectum verborum: dummodo integre proferentur ex generali intentione faciendi, quod Christus instituit.

Tenet etiam Scotus omnem Sacerdotem potentem proferre verba cum intentione debita posse cõficere Eucharistiam, quod probat his rationibus. 1. qui ordinem Sacerdotalem non potest amittere, non potest etiam ius conficiendi amittere, sed nullus sacerdos potest amittere potestatem sacerdotalem: ergo neque potestatem conficiendi. Minor patet quia character indelebilis imprimitur in Sacerdotio: ergo sacerdotium est indelebile, quod autem character Sacerdotalis sit indele-

bilis: constat ex Concil. Trident. sess. 7. & 23. cap. 4.

Excommunicatus, ergo, maiori excommunicatione potest conficere, licet aliud censeat Magister sent. in 4. d. 13. idem dicendum est de hæretico & schismatico, quia potest habere intentionem in vniuersali, faciendi, quod Christus instituit faciendum, & quod Ecclesia facit: licet in speciali, non credat sacramentum valere, nec etiam Ecclesiæ credat.

Degradatus etiam potest conficere, quia degradatio non tollit characterem; licet enim aliquis possit ministerialiter aliquid conferre, non tamen potest illud idem ministerialiter auferre, quia Deus non instituit ministrum in amotione sicut in collatione iuxta illud 2. Corinth. cap. vlt. non dedit Deus nobis potestatem in destructionem, sed in ædificationem.

Dices Sacerdos spoliatur priuilegio clericali, per degradationem, & traditur curiæ seculari. Respondet Scotus, istud priuilegium non esse de essentia ordinis, quia datum fuit ab Imperatore Constantino: ergo ordo potest esse sine priuilegio.

Vel dicendum est & melius, quod de-

gradatus

gradatus non amittit priuilegium clericale per degradationem, quia istud priuilegium consistit in hoc, vt non possit iudicari in causa sanguinis nisi à iudice Ecclesiastico.

Vnde cum Papa committit clericum iudici seculari per degradationem, facit vt iudex secularis sit minister & executor iudicis Ecclesiæ: ergo sicut aliquis secularis potest esse minister iudicis Ecclesiastici, neque hoc auffert priuilegium clericale; ita degradatus non amittit priuilegium clericale, dum à iudice seculari, tanquam à ministro iudicis Ecclesiastici punitur in vltimo supplicio.

Quando ergo sancti Patres dicunt, non esse verum sacrificium extra Ecclesiam, hoc verum est, quantum ad fructum: id est, nullum est fructuosum; non autem quod nullum possit esse simpliciter.

De his quæ requiruntur in ministro.

Sectio LXIII.

TRia ſunt impedimenta amouenda, vt Sacerdos poſſit ordinatè, & rectè conficere. Primum eſt, peccatum mortale: ſecundum, ieiunium naturale, ita vt peccet mortaliter, qui conficit in peccato mortali, vel non ieiunus ieiunio naturæ. Tertium, eſt pœna canonica, quę eſt prohibitio exercendi actus, vel recipiendi gradus, qui aliàs competeret alio non prohibito; & iſta pœna impedit ordinatè conficere.

Scotus autem numerat excommunicationem maiorem, ſuſpenſionem, degradationem, ſimoniam, irregularitatem, & infamiam, inter pœnas canonicas.

Pœnæ autem naturales, ſuper quas fundantur pœnæ canonicæ, ſunt defectus naturales, ita deformantes hominem, vt meritò arceatur à miniſterio hu-

ius sacramenti, propter dignitatem eius; vt sunt mutilationes membrorum, quædam infirmitates horribiles, quibus Ecclesia adiunxit pœnas canonicas, & prohibuit, ne homines subiecti his defectibus, possent celebrare, nec ministrare hoc sacramentum, vt habetur dist. 25. *Extra. de corpore vitiatis.*

Quicunque ergo Sacerdos conficit in aliqua censura, vel pœna Ecclesiastica celebrat, facit inordinatè, quia facit contra ordinationem Ecclesiæ; & qui ministrat sacramentum in quocunque impedimento canonico, videtur fieri irregularis.

Scotus tamen excipit eum, qui ignoraret se detineri aliquo istorum impedimentorum, supple, ignorantia facti, quæ excusat ab irregularitate: non autem ignorantia iuris, quæ potius aggrauat, quia qui se exponit ad tantum actum, tenetur scire iura, secundum quæ potest exercere tantum, & talem actum.

Scotus excipit etiam excommunicationem minorem; vnde celebrans in ea, licet grauiter peccet, non incurrit tamen notam alicuius irregularitatis, vt habetur eodem titulo, cap. *Si celebrat.* Simo-

niacus etiam incurrit irregularitatem, inquit Scotus, per illud decretum, dist. 33. *Maritum*.

Sacerdos etiam debet esse indutus vestibus sacris, quæ debent esse sacrata, & honesta: neque in alijs vsibus, quàm Ecclesiasticis, & Deo dignis officijs debent adhiberi; & sunt sex, vt declarat Innocentius, *de officio Missæ*, part. 1, cap. 10. scilicet, amictus, alba, vinculum, stola, manipulus, & planeta, sine quibus tamen minister celebrans, non incurrit irregularitatem, quia hæc pœna non habetur in iure diuino.

De Authore Sacramentorum nouæ legis.

SECTIO LXIV.

SCotus in 4. dist. 2. q. 1. disertè probat, Christum instituisse septem sacramēta nouæ legis ex Scriptura sacra: nam, inquit, de Baptismo patet, Ioan. 3. vbi discipuli baptizabant, viuente Christo; & præ-

ceptum fuit, vt publice prædicaretur. Matth. vlt. *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.*

De Eucharistia, patet eius prædicatio diffusa, Ioan. 6. & institutio eius in cæna, Matth. 26.

De Confirmatione, patet institutio, Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, &c.* vel in die Pentecostes, Actuum secundo capite.

De Pœnitentia, dicitur quod fuit instituta, Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, &c.* Et promissum, Matth 16. *Tibi dabo claues regni cælorum: Quodcunque ligaueris, &c.* Ista enim potestas non erat principaliter dimittendi peccata, quod est Dei proprium: sed arbitrandi de dimissione peccati, arbitrio approbato à Deo; sic autem arbitrari est in foro pœnitentiæ, soluere, vel ligare.

De extrema Vnctione dicitur, Iacobi 5. *Infirmatur quis in vobis, &c.* Sed licet ibi promulgauerit illud sacramentum, melius est dicere fuisse institutum à Christo: legimus enim, Marci 6. quod Apostoli vngebant oleo multos infirmos, & sana-

bantur. Constat autem hoc non fecisse, nisi in virtute Christi, qui instituerat illam vnctionem virtuosam.

De Matrimonio constat, Matth. 19. *Non legistis* (ait Christus) *quia masculum & fœminam fecit eos*, (supple Deus) *& dixit* (supple, per os Adæ) *quamobrem relinquet homo, &c.* Vbi Christus approbat, & ratificat id, quod Deus in statu innocentiæ per os Adæ publicauit.

De Ordine, Matth. 26. *Hoc facite in meam commemorationem.* & Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, &c.* Hæc enim duo pertinēt ad ordinem sacerdotalem, scilicet potestas respectu corporis Christi veri, & potestas respectu corporis Christi mystici.

Quod autē hæc omnia à solo Deo fuerint instituta, constat, quia nulli cōpetit signū instituere practicum, nisi vel respectu alicuius, qui subest sibi, quantum ad illum actum: sacramentum autem est signum practicum, respectu effectus Dei proprie, & Deus non potest in actu sibi proprio, alicui subesse: ergo, &c. Hæc habet Scotus.

FINIS.

INDEX
RERVM PRÆCIPVARVM
HVIVS PRIMI
Tractatus.

A

C

D

E

H

I

O

P

DE EFFECTIBVS SACRAMENTI Euchariſtiæ.

Sectio I.

De fide eſt hoc Sacramentum conferre per ſe augmentum gratiæ; Sacramenta enim nouæ legis conferunt gratiam ex opere operato, at Euchariſtia eſt Sacramentum nouæ legis, ex Ioãne. 6. qui manducat me, viuet propter me. Adde quod inſtitutum eſt per modũ cibi & potus, iuxta illud, caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus Ioannis. 6. ergo datur ad nutrimentum & augmentum vitæ ſpiritualis.

Cibus corporlis nutrit quidem, ſed

non ſemper auget, vt patet in his qui non ſunt in ſtatu creſcendi: at in hoc Sacramento, corpus Chriſti nutrit & auget gratiam, quia gratia nunquam remittitur, & licet confirmatio augeat vitam ſpiritualem, tamen non ordinatur *per ſe* primò ad perficiēdum vnionem cũ Chriſto & cũ corpore eius ſicut hoc Sacramentũ iuxta illud *Multi vnum corpus ſumus, qui de vno pane participamus*, &c. 1. Corinth.

Euchariſtia autem non eſt ordinata per ſe. 1. ad conferendam gratiam & remittēdum peccatum mortale. Dicit enim Concilium Tridenti. ſeſſ. 13. c. 2. hoc Sacramentũ preſeruare à mortalibus & remittere venialia. Vnde conſueuit Eccleſia nunquam illud præbere niſi eis quos exiſtimat mundatos per baptiſmum & pœnitentiam, prohibendo etiam ne detur publicis pœnitentibus donec abſoluantur. Præterea, cibus non ordinatur de ſe ad viuificandum ſeu ſuſcitandum mortuum ſed nutriendum vel confortandum hominem viuum, & inſtitutum eſt per modum cibi; ergo.

Obiicies. Chriſtus ſumitur in hoc Sacramento, qui peccata remittit, & tactu

ſuo viuificat mortuos, ergo Sacramentum dat vitam & tollit peccatum. Vnde in cõſecratione calicis habetur, *qui pro vobis effundetur, in remiſſionem peccatorum*, & Ioan. 6. *Hic eſt panis qui dat vitam mundo.*

Reſpondeo non haberi Sanguinem bibi in remiſſionem peccatorum, ſed effudi in remiſſionem: & modo ſignificat offerri & conſecrari vt fructus nobis paſſionis. Deinde hoc Sacramentum dat vitam mundo eo modo quo cibus eſt, ſcilicet conſeruando & nutriendo illam.

Quod ſi Patres videantur aſſerere contrarium, Reſpondendum eſt ipſos loqui de hoc myſterio vt Sacramentum & vt ſacrificium. Dicunt enim ipſum valere vt ſacrificium eſt, ad remiſſionem, vel emundationem peccatorum venialium quo ad culpam: vel mortalium quo ad reatum pœnæ temporalis: vel quo ad culpam, mediate, per modum impetrationis; vel immediate, ex opere operato, non per ſe ſed per accidens.

Inſuper, hoc Sacramentum dicitur etiam medicina & pharmacum: quia curat leuiores morbos, præſeruatà grauioribus, & expellit imbecilitatem relictam

ex eis & alios defectus, vt explicat. D. Thomas in illam, orationem Ecclesiæ, *sit ablatio scelerum.*

Eucharistia etiam confert aliquando primam gratiam & aufert peccatum mortale. Quia. 1. est Sacramentum nouæ legis cuius est conferre gratiam non ponentibus obicem. Addit tamen Suares Sacramenta nouæ legis conferre gratiam non in ratione generis, sed speciei & propriæ institutionis. Hoc est conferunt gratiam vt abstrahit à prima vel secunda.

Si dicas cibum non posse ressuscitare mortuum, verum est de cibo materiali; non autem de spirituali, qui conuertit in se hominem mortuum. Nisi ponat obicem, dummodo non sit ita mortuus vt non possit exercere aliquem actum vitæ spiritualis. scilicet fidei, spei, & reuerentiæ.

De dispositione recipientis.

SECTIO II.

DOctissimus Suares multa dicit de hac materia quæ poterit videre curiosus lector: hæ sunt tamen præcipuæ notationes. Docet ergo. 1. attritionem supernaturalem peccati commissi esse requisitam ad hoc vt Eucharistia recepta conferat primam gratiam. Vnde non satis est obliuionem habere peccati, seu ignorantiam. Nec etiam satis est illud detestari, actu mere naturali seu imperfecto, quia pœnitentia de peccato commisso etiam in lege gratiæ est medium simpliciter delendi peccatum mortale, hæc autē pœnitentia, vel debet esse contritio, vel supernaturalis attritio quę procedat ex motiuo supernaturali, & cadat in omnia peccata commissa.

2. Erudit talem attritionem supernaturalem non sufficere nisi accedat, bona fide, qua putet se esse in gratia & existimet

non habere conſcientiam peccati mortalis,de quo non putet ſe egiſſe ſufficientem pœnitentiam.

Non dicitur autem aliquis habere conſcientiam peccati mortalis ſolum quando cognoſcit ſe eſſe in peccato, ſed etiam quando eſt in affectu peccati mortalis, & permanet in eo ſtatu. Vnde præcipitur peccatori vt confeſſionem præmittat, & ſi non poſſit ſaltem habere contritionem & procuret in ſtatu gratiæ conſtitui.

3. Aſſerit hominem poſſe non peccare mortaliter nec gratiam conſequi in ſuſceptione Euchariſtię,quia non poteſt homo exiſtens in peccato mortali accedere ad hoc Sacramentum non ſolum ſine contritione, ſed etiam ſine vera attritione abſq; noua culpa: & tunc dabitur ille medius ſtatus, quia non peccat mortaliter,vt ſupponitur, nec recipit gratiam cum non habeat ſufficientem diſpoſitionem.

Vt ſi aliquis putet non peccare ex ignorantia probabili cum conſcientia peccati accedendo ad hoc Sacramentum ſine affectu eius: vel etiam cum attritione illius quam putat ſe habere probabiliter quamuis illam à parte rei non habeat: Nam ille

excuſaretur à culpa propter ignorantiam, & priuaretur gratia : qui non haberet ſufficientem diſpoſitionem.

Dices : homo in ſtatu ipſo digne, vel indigne ſumit ; ſi indigne, peccabit ; ſi digné, non carebit gratia : Vel facit quod in ſe eſt, vel non facit, vel non ponit obicem, vel ponit. &c.

Reſpondetur huiuſmodi hominem iure, vel à parte rei accedere indigne & per cõſequens non conſequi gratiam. Accedere autem digne ſecundum exiſtimationẽ ſuam, & ideo excuſari à peccato, vnde licet excuſetur à nouo peccato, non tamen iuſtificatur.

4. Tenet attritionem eſſe quidem de ſe ſufficientem diſpoſitionem ad effectum: hoc eſt ad gratiam Sacramenti, non tamen per ſe eſſe ſufficientem ad vſum eiuſdem, ergo exiſtimatio probabilis contritionis poteſt conferre ad excuſandam culpam & obicem indignæ ſumptionis.

De dispositione ad augmentum gratiæ collatæ per Eucharistiam.

SECTIO III.

PEccatum veniale actu concomitans sumptionem Eucharistiæ, non impedit effectum eius; quia is qui accedit ad hoc Sacramentum in gratia cum peccato veniali, accedit digne, vel indigne, si digne, ergo recipit effectum Sacramenti: si indigne, ergo non peccat tantum venialiter, sed & mortaliter, ita suscipiens Sacramentum.

Certum est etiam nullam dispositionem actualem, vt pote deuotionem, vel honorem esse necessariam, vt Eucharistia conferat suam propriam gratiam: quod patet in pueris, amentibus, & phreneticis qui actualem deuotionem habere non possunt, in quibus carentia talis dispositionis non potest impedire hunc effectum. Alias irrationabile esset eis dare hoc Sacramentum: hoc etiam patet in

homine vſum rationis habente, qui carere poteſt tali actuali deuotione ex diſtractione inuolūtaria, & naturali obliuione: iſta autem carentia talis diſpoſitionis non poteſt dici obex, quia nō aliquid eſt voluntarium.

Quod ſi non eſt obex Sacramentum habebit ſuum effectum, quia infalibile eſt Sacramenta [illegible] conferre gratiam non ponentibus obicem, quia per ſeipſa & non per actum operātis conferunt. Obex autem eſt peccatum mortale, nō veniale.

Deinde nulla eſt ſufficiens ratio, qua probetur Chriſtum voluiſſe pios & iuſtos homines redigere ad has anguſtias: quia facilimum eſt homini ita diſtrahi vt nullam actualē attentionē vel deuotionē habeat. Vnde Chriſtus non ſolum reſpexit ad dignitatem Sacramenti propter quam voluit hominem accedere cum iuſtitia, ſed etiam ad fragilitatem eiuſdem propter quam voluit hominem accedere cum actuali deuotione, non vt neceſſaria ſimpliciter, ſed vt magis fructuoſa & vtiliori.

De tempore collationis gratiæ per Sacramentum.

SECTIO IV.

FAtentur omnes Theologi gratiam Sacramenti conferri in eius manducatione, quia mãducanti facta est promissio, iuxta illud Ioannis 6. *qui manducat hunc panem viuet in æternum.*

Sine dubio Eucharistia confert totum suum effectum, simul & non successiue, dummodo nulla sit successio ex parte subiecti, propter augmentum successiuum dispositionis. Quia causa efficax simul producit totum suum effectum quando non est repugnantia ex parte passi & ex parte effectus; Hoc Sacramentum autem est causa efficax, & gratia est producibilis in instanti, inquocumque gradu, cum sit qualitas permanens, & cum non habeat oppositum contrarium. Dummodo tamen non sit successio ex parte subiecti.

Nam si sit varietas ex parte subiecti non

repugnabit effectum Sacramenti augeri ſucceſſiue, nam cum Sacramentum det maiorem gratiam melius diſpoſito, ſi ſubiectum ſit melius diſpoſitum, circa finem diſpoſitionis maiorem gratiam recipiet quam in principio, illam autem gratiam recipiet non ſimul ſed ſucceſſiue.

Præterea diſpoſitio poteſt etiam eſſe ſucceſſiua continue duobus modis. 1. Per continuam intentionem maiorem eiuſdem actus, vt pote in actu amoris Dei: poſſunt enim augeri continue vitales actus ſicut aliæ qualitates. 2. Per continuam durationem eiuſdem actus, nam licet talis actus non fiat melior phyſicè, fit tamen melior moraliter propter maiorem perſeuerantiam ſeu continuationem illius, intentius ſcilicet perſeuerando in actu amoris Dei.

Deinde probabile eſt Euchariſtiam non conferre ſuum effectum in aliquo inſtanti temporis noſtri, ſed ſolum in intrinſeca duratione indiuiſibili coexiſtente alicui tempori noſtro & non alicui primo inſtanti.

Addit Suares eſſe determinandum aliquod certum tempus noſtrum pro quo

duret illa actio, quod fieri potest duobus modis. 1. Vel quod illa actio duret toto tempore manducationis Sacramenti, per modum nouæ productionis continuæ. 2. Necessarium fuit vt Christus determinauerit in sua institutione suo arbitrio & voluntate, quanto tempore duraret talis actio.

Probabile est iterum effectum Sacramenti fieri posse in instanti etiam nostri temporis.

De manducatione successiua specierum eiusdem rationis.

SECTIO V.

NOn recipit maiorem gratiam qui sumit multas hostias cõsecratas quã si vnam tantum reciperet, quia vt dicit D. Thomas, non plus virtutis est in multis hostiis consecratis quam in vna, cum adsit totus Christus sub omnibus, alias fructuosius esset sacerdotibus sumere partes hostiæ factæ successiuæ vnam post aliam,

quam si simul vtramque, quod vanum & superstitiosum censetur, adde quod gratia non datur per partes in singulis sumptionibus, sed simul tota.

Suares asserit etiam hunc effectum dari in prima sumptione partiali, quia effectus Sacramenti non pendet à futuro & contingenti euentu, cuiusmodi est alia partialis sumptio.

Nam si fingamus sacerdotem successiue sumentem partes hostiæ fractæ mori sumpta prima, sane non priuaretur effectu Sacramenti, quamuis non sumpsisset aliam; quia in prima sumptione totus Christus est manducatus, qui confert gratiam cum primum manducatur, vel applicatur.

Et licet in Sacramento extremæ vnctionis non detur effectus, nisi peracta vltima vnctione, vt docet D. Thomas in additionibus. q. 30. art. 1. ad. 3. non sequitur, hoc fieri in Sacramenro Eucharistiæ: quia extrema vnctio non est Sacramentum, nisi peccata vltima vnctione essentiali. Eucharistia autem est Sacramentum in minima parte hostiæ.

Et licet communio constans ex multis

cõmunionibus ſit vna moraliter, non ſequitur tamen expectari vſq; ad vltimam ſumptionem, quia Chriſtus totus ſumitur ſub vna patticula.

Licet autem iſtæ ſumptiones ſint diſtinctæ phiſicè, conſiderantur tamen vt integrantes vnam communionem moralem per quam vnus datur effectus. Vnde ſicut non eſt inconueniens nihil noui fieri in poſterioribus partibus manducationis, quæ fit vnico motu continuo circa eaſdem ſpecies continuas: Sic non eſt inconueniens vt nihil noui fiat in poſterioribus manducationibus quæ fit per motus diſcretos, nam in hoc continuitas, vel diſcretio nihil refert: quod intelligendum eſt ex parte Sacramenti: non vero ſemper ex parte ſubiecti, quia ſi ſacerdos verbi gratia ſumeret ſucceſſiuè partes hoſtiæ, fieri poſſet vt ſumendo priorem partem haberet obicem, ſeu non eſſet attritus; ſumendo vero poſteriorem partem, iam eſſet contritus, & ſic reciperet gratiam in poſteriori parte, quam non reciperet in priori: & eadem eſt ratio de homine remiſsè diſpoſito in principio & intensè poſtea: gratia enim danda per Sa-

cramentum non est absolute determinata, sed iuxta dispositionem suscipientis.

De sumptione specierum diuersæ rationis, vt sunt species panis & vini.

SECTIO VI.

TAmetsi gratia Sacramentalis non sit aliud essentialiter à gratia habituali, absolute tamen est aliquid aliud formaliter: & licet nihil addat ei intrinsecè, addit tamen aliquem respectum ad quoddam speciale munus, vel specialem actum cum auxilio peculiari: vnde licet Sacramenta conferant gratiam habitualem eiusdem rationis, tamen sunt distinctæ formaliter.

Sumptio autem cuiuscunque speciei Eucharistiæ per se sola sufficit ad dandam gratiam habitualem & Sacramentalem.

De specie panis est certa fides, vt constat ex vsu & consuetudine Ecclesiæ. De specie etiam vini patet ex Concilio Tri-

dentino sess. 21. c. 1. vbi loquendo de cõmunione laicorum & clericorum, dicit ipsos cõmunicare ad salutem sub speciebus, non determinando eos.

Vnde D. Ambrosius loquendo de Calice dicit, bibendo Sanguinem inebriari spiritualiter 4. de Sacramen. c. 6. lib. 6. c. 3. eique peccata remitti. Deinde talis species est verum Sacramentum, Sacramenta autem nouæ legis efficiunt quod significat, vt patet ex illo Christi, *caro mea vere est cibus*, &c. Quod non solum intelligendum est collectiuè, sed etiam diuisiuè & distributiuè.

Suares etiam putat æqualem gratiam habitualem, conferri per sumptionem vnius speciei ac alterius cæteris paribus. Vnde gratia Sacramentalis non datur distincta per vnam speciem ab alia, quæ datur per aliam.

Fames enim & sitis spiritualis idem sunt, ergo hæ duę species panis & vini referuntur ad extinguendam sitim & satiandam famem, & per consequens sunt institutæ ad eundem effectum Sacramentalem.

Insuper quamuis species panis & vini sint

sint diuersæ rationis quo ad res ad quas significandas sunt impositæ, non tamen quo ad rem significatam: ablutio & verba in baptismo confessio & contritio in pœnitētia sunt diuersæ rationis: tamen ratione signi habent eamdem significationem: & ideo si est eadem significatio, formalis effectus nō erit formaliter diuersus.

Multi tenent maiorem gratiam conferri suscipiendo vtramq; speciem, quam vnam tantum, quod tamen negat Suares, cui fauet D. Thomas q. 80. art. 12. vbi dicit laicos non pati detrimentum communicantes tantum sub vna specie; quia totus Christus sub vtraque specie continetur, & est tantū vna moralis cōmunio.

Et licet species distinguantur materialiter, non tamen in re contenta simpliciter, nec in effectu significato, nec in virtute agendi. Nam virtus agendi non crescit propter sola instrumenta, nec itidem effectus, vt patet in ablutione & verbis applicatis super baptizatum à pluribus ministris, simul & in eodem instanti.

Deinde promissio Christi facta fuit & cadit æque in omne id quod continet totum Christum, nec reffert ad effectum;

quod ſit corpus ex vi verborum ſub vna ſpecie & non ſub alia.

Adde quod tota dignitas & efficacia huius Sacramenti eſt ex ſuppoſito diuino, vnde ſi Chriſtus ſe dediſſet in triduo, quãuis non hic fuiſſet anima & ſanguis, ſimilem tamen gratiam contuliſſet ſicut & nunc, quia propter dignitatem ſuppoſiti non minueretur effectus.

Licet etiam ſit perfectior ſignificatio ſub vtraque ſpecie, quam ſub vna ratione modi ſignificandi, non tamen ratione rei ſignificatæ; vnde concluditur propterea, dari perfectior effectus: quia effectus perfectior Sacramentalis, attenditur penes rem ſignificatam non autem ex parte modi ſignificandi. Nam Sacramenta efficiunt quod ſignificant, non prout ſignificant; nec modus ſignificandi eſt conditio neceſſaria ad agendum.

Præterea effectus Sacramenti datur ſtatim in ſumptione corporis, vnde ſi ſacedos ſit diſpoſitus ſumendo hoſtiam, ſtatim accipit gratiam quia digne accipit corpus Chriſti, etiam ſi ſumat ſine intentione ſuſcipiendi calicem: vt in die Paraſceues, vel ſi habeat inten-

tonem ſumendi aliam ſpeciem. Nectamen cenſetur inutilis ſumptio calicis, quia pertinet ad perfectionem ſacrificij, per integritatem Sacramenti & ad diuinum cultum, cum etiam poſſit reſultare fructus ex opere operantis & ex opere operato; quia ſi comunicans ſit melius diſpoſitus in ſumptione calicis, quam in ſumptione hoſtiæ, augebitur in illo effectus cum debita proportione: vel ſi contingat in ſumptione hoſtiæ habere peccatum mortale non ſatis deteſtatum, & dolorem perfici ante ſumptionem calicis, conſequetur vitam gratiæ, quam prius non obtinuerat, quia iam digne communicat bibendo ſanguinem Chriſti.

De *collatione gratiæ durante Chriſto in communicante.*

SECTIO VII.

PRobabile eſt gratiam augeri ſumpto Sacramento quamdiu durat preſentia Chriſti, dummodo ſeſe magis ac magis diſponat communicans: & poſ-

sunt esse istæ conuenientiæ.

1. Quia hoc Sacramentum institutum est per modum cibi materialis, cibus autem materialis non tantum operatur quando sumitur, sed quandiu durat in stomacho nutrit & confortat, ergo. Idem prestat cibus spiritualis.

2. Quia promissio gratiæ facta est, huic sacramento precipue propter Christum manducatum iuxta illud Ioan. *6. qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in eo.* vbi D. Augustinus tractatu. *26. manducare* (inquit) *Christum est illum manentem in se habere.*

Coniectura hæc esse potest: quando dicitur manducatio materialis esse necessaria ad vitam, hoc attribuitur manducationi, vt est actualis motus labiorum & aliorum instrumentorum, & ratione termini, hoc est cibi manducati.

Nam manducatio ipsa non est ratio agendi, sed conditio per modum applicationis: applicatio autem non est tantum vtilis ad effectum quandiu est in fieri, sed ratione sui termini quandiu durat ille, & hoc sensu intelligitur promissio facta huic Sacramento, ergo panis cælestis est effi-

cax gratiæ, quandiu manet, ſi inueniat diſpoſitum in ſumente.

Deinde iſte modus inſtitutionis eſt conuenientiſſimus ad excitandos homines ad deuotionem & reuerentiam exhibendam huic Sacramento, quandiu in ipſis permanet; immo illud tempus magis eſt accommodatum, vt homo interius ſe totum colligat & ad fructum hauriendum ex illo cibo diſponat.

Iſte etiam modus eſt conuenientiſſimus ex parte Sacramenti vt maiorem habeat efficaciam: & vt intelligamus totam efficaciam eſſe tribuendam ipſi Sacramento, & non ſolum manducationi in fieri, ſed etiam in facto eſſe, dummodo ſubiectum ſit diſpoſitum.

Vnde ſi in toto illo tempore continue augeatur diſpoſitio, augebitur etiam gratia, non ſolum ex opere operantis ſed etiam ex opere operato. Nec dubium eſt hominem peccare mortaliter ſi ſciat ſe Chriſtum ad huc in ſe habere poſt ſumptionem Sacramenti, ſi perſeueret in peccato mortali, vel peccet per ſe loquendo: dicitur per ſe, quia quando homo eſt incertus ſe Chriſtum habere in ſe excuſatur

tinum dicit Christum effudisse in hoc Sacramento diuitias amoris sui erga homines; ergo existens in eo debet eos vicissim excitare peculiari modo ad sui amorem.

Theologi tenent etiam conferre actuale auxilium & fauorem ex opere operato, ad vitanda peccata & tentationes superandas.

Vnde Concilium Tridentinum appellat hoc Sacramentum Antidotum, quo à mortalibus præseruamur & à venialibus liberamur. sess. 13. c. 2. donum itidem perseuerantiæ datur per auxilia actualia: & licet hic effectus non sit infallibilis absolutè propter falibilem dispositionem recipientis, est tamen infalibilis ex parte Sacramenti, quod sufficit. Vel si est falibilis talis effectus ex parte Sacramenti, hoc verum est si habeatur respectus ad tempus sumptionis Sacramenti, non vero si ad tempus oportunum modo digne cõmunicauerit; quia talis effectus non semper datur statui quando recipit Sacramentum, sed tempore oportuno pro quo est promissus.

Non est autem quod quis tristetur nisi sentiat illum feruorem charitatis & illam

ſuauitatem quando cõmunicat: quia etiã ſi digne cõmunicauerit poteſt hunc effectum non conſequi, vel quia illi non expedit, vel quia negligẽter accedit, vel quia naturaliter eſt diſtractus.

De remißione peccatorum venialium.

SECTIO IX.

PEccata venialia etiam remittuntur ex opere operato per iſtud Sacramentum: ad quem effectum, duo ſunt neceſſaria ex parte ſumentis. 1. Quod ſit in gratia. 2. Vt non inueniat actualem affectum peccati talis, quia non poteſt veniale peccatum remitti ſine mortali, & licet hoc Sacramentum remittat veniale peccatum ex opere operato, non tamen pœnam tẽporalem, quia talis pœna remittitur ſecundum valorem actus hominis.

Verum talis pœna remittitur per Euchariſtiam quatenus ſacrificium, ergo non erat neceſſe vt remitteret etiam in

ab hac malitia. Peccatum autem non distinguitur ab indigna ſumptione, ſed eſt grauius ex circunſtantia. Notandum eſt etiam gratiam non augeri preciſe propter preſentiam longiorem, ſed propter meliorem diſpoſitionem recipientis: vnde ſi tota illa diſpoſitio fieret in inſtanti totus ſimul obtineretur effectus, ergo ſi ſit duratio & ſucceſſio in productione effectus, hoc fit per accidens ex defectu diſpoſitionis.

Ergo non eſt ſuperſtitio curare vt præſentia Chriſti in homine magis duret, ſed eſt magis diligentia adhibenda vt homo perfectius ſe diſponat & ſe colligat, ſumpto Euchariſtiæ Sacramento.

Suares tenet Euchariſtiam non conferre ſuum effectum recedente fictione ſi deſinat præſentia in ſumẽte: quia vt ait D. Paulus iudicium ſibi manducat, &c. Nec dixit communionem eſſe illi vtilem poſtea: & licet Sacramenta alia id præſtent non tamen iſtud: quia ſi cætera alia id preſtent neceſſario, talis neceſſitas oritur, eo quod iterari non poſſunt ſimpliciter, aut pro aliquo ſtatu, vel quia ſunt media neceſſaria ad ſalutem.

Hoc autem Sacramentum iterari potest, & effectus eius non ad salutem, simpliciter necessarium. Neque enim verisimile est perditum sacerdotem, qui quotidie indigne cõmunicat per vnum actum pœnitentiæ in fine vitæ consequi omnem gratiam quam ex opere operato obtinuisset si digne communicasset.

De gratia actuali collata per Sacrameutum.

Sectio VIII.

Sacramentum Eucharistiæ est ita efficax vt excitet deuotionem animi, feruorem charitatis cum speciali suauitate spiritus, & hæc est quædam gratia actualis, vnde Ecclesia accommodat illa verba Genes. 49. *Pinguis est panis eius & præbebit delicias regibus*, & in hoc conueniunt Scolastici & patres. Hic autem effectus re quirit gratiam actualem: quia spiritualis dulcedo non est sine attentione animæ & affectione actuali. Vnde Concil. Triden-

ab hac malitia. Peccatum autem non distinguitur ab indigna ſumptione, ſed eſt grauius ex circunſtantia. Notandum eſt etiam gratiam non augeri preciſe propter preſentiam longiorem, ſed propter meliorem diſpoſitionem recipientis: vnde ſi tota illa diſpoſitio fieret in inſtanti totus ſimul obtineretur effectus, ergo ſi ſit duratio & ſucceſſio in productione effectus, hoc fit per accidens ex defectu diſpoſitionis.

Ergo non eſt ſuperſtitio curare vt præſentia Chriſti in homine magis duret, ſed eſt magis diligentia adhibenda vt homo perfectius ſe diſponat & ſe colligat, ſumpto Euchariſtiæ Sacramento.

Suares tenet Euchariſtiam non conferre ſuum effectum recedente fictione ſi deſinat præſentia in ſumēte: quia vt ait D. Paulus iudicium ſibi manducat, &c. Nec dixit communionem eſſe illi vtilem poſtea: & licet Sacramenta alia id præſtent non tamen iſtud: quia ſi cætera alia id preſtent neceſſario, talis neceſſitas oritur, eo quod iterari non poſſunt ſimpliciter, aut pro aliquo ſtatu, vel quia ſunt media neceſſaria ad ſalutem.

Hoc autem Sacramentum iterari poteſt, & effectus eius non ad ſalutem, ſimpliciter neceſſarium. Neque enim veriſimile eſt perditum ſacerdotem, qui quotidie indigne cõmunicat per vnum actum pœnitentiæ in fine vitæ conſequi omnem gratiam quam ex opere operato obtinuiſſet ſi digne communicaſſet.

De gratia actuali collata per Sacrameutum.

SECTIO VIII.

SAcramentum Euchariſtiæ eſt ita efficax vt excitet deuotionem animi, feruorem charitatis cum ſpeciali ſuauitate ſpiritus, & hæc eſt quædam gratia actualis, vnde Eccleſia accommodat illa verba Geneſ. 49. *Pinguis eſt panis eius & præbebit delicias regibus*, & in hoc conueniunt Scolaſtici & patres. Hic autem effectus requirit gratiam actualem: quia ſpiritualis dulcedo non eſt ſine attentione animæ & affectione actuali. Vnde Concil. Triden-

ab hac malitia. Peccatum autem non distinguitur ab indigna ſumptione, ſed eſt grauius ex circunſtantia. Notandum eſt etiam gratiam non augeri preciſe propter preſentiam longiorem, ſed propter meliorem diſpoſitionem recipientis: vnde ſi tota illa diſpoſitio fieret in inſtanti totus ſimul obtineretur effectus, ergo ſi ſit duratio & ſucceſſio in productione effectus, hoc fit per accidens ex defectu diſpoſitionis.

Ergo non eſt ſuperſtitio curare vt præſentia Chriſti in homine magis duret, ſed eſt magis diligentia adhibenda vt homo perfectius ſe diſponat & ſe colligat, ſumpto Euchariſtiæ Sacramento.

Suares tenet Euchariſtiam non conferre ſuum effectum recedente fictione ſi deſinat præſentia in ſumēte: quia vt ait D. Paulus iudicium ſibi manducat, &c. Nec dixit communionem eſſe illi vtilem poſtea: & licet Sacramenta alia id præſtent non tamen iſtud: quia ſi cætera alia id preſtent neceſſario, talis neceſſitas oritur, eo quod iterari non poſſunt ſimpliciter, aut pro aliquo ſtatu, vel quia ſunt media neceſſaria ad ſalutem.

Hoc autem Sacramentum iterari potest, & effectus eius non ad salutem, simpliciter necessarium. Neque enim verisimile est perditum sacerdotem, qui quotidie indigne cõmunicat per vnum actum pœnitentiæ in fine vitæ consequi omnem gratiam quam ex opere operato obtinuisset si digne communicasset.

De gratia actuali collata per Sacrameutum.

SECTIO VIII.

SAcramentum Eucharistiæ est ita efficax vt excitet deuotionem animi, feruorem charitatis cum speciali suauitate spiritus, & hæc est quædam gratia actualis, vnde Ecclesia accommodat illa verba Genes. 49. *Pinguis est panis eius & præbebit delicias regibus*, & in hoc conueniunt Scolastici & patres. Hic autem effectus requirit gratiam actualem: quia spiritualis dulcedo non est sine attentione animæ & affectione actuali. Vnde Concil. Triden-

ab hac malitia. Peccatum autem non distinguitur ab indigna ſumptione, ſed eſt grauius ex circunſtantia. Notandum eſt etiam gratiam non augeri preciſe propter preſentiam longiorem, ſed propter meliorem diſpoſitionem recipientis: vnde ſi tota illa diſpoſitio fieret in inſtanti totus ſimul obtineretur effectus, ergo ſi ſit duratio & ſucceſſio in productione effectus, hoc fit per accidens ex defectu diſpoſitionis.

Ergo non eſt ſuperſtitio curare vt præſentia Chriſti in homine magis duret, ſed eſt magis diligentia adhibenda vt homo perfectius ſe diſponat & ſe colligat, ſumpto Euchariſtiæ Sacramento.

Suares tenet Euchariſtiam non conferre ſuum effectum recedente fictione ſi deſinat præſentia in ſumēte: quia vt ait D. Paulus iudicium ſibi manducat, &c. Nec dixit communionem eſſe illi vtilem poſtea: & licet Sacramenta alia id præſtent non tamen iſtud: quia ſi cætera alia id preſtent neceſſario, talis neceſſitas oritur, eo quod iterari non poſſunt ſimpliciter, aut pro aliquo ſtatu, vel quia ſunt media neceſſaria ad ſalutem.

Hoc autem Sacramentum iterari potest, & effectus eius non ad salutem, simpliciter necessarium. Neque enim verisimile est perditum sacerdotem, qui quotidie indigne cõmunicat per vnum actum pœnitentiæ in fine vitæ consequi omnem gratiam quam ex opere operato obtinuisset si digne communicasset.

De gratia actuali collata per Sacramentum.

SECTIO VIII.

SAcramentum Eucharistiæ est ita efficax vt excitet deuotionem animi, feruorem charitatis cum speciali suauitate spiritus, & hæc est quædam gratia actualis, vnde Ecclesia accommodat illa verba Genes. 49. *Pinguis est panis eius & præbebit delicias regibus*, & in hoc conueniunt Scolastici & patres. Hic autem effectus requirit gratiam actualem: quia spiritualis dulcedo non est sine attentione animæ & affectione actuali. Vnde Concil. Triden-

tinum dicit Christum effudisse in hoc Sacramento diuitias amoris sui erga homines; ergo existens in eo debet eos vicissim excitare peculiari modo ad sui amorem.

Theologi tenent etiam conferre actuale auxilium & fauorem ex opere operato, ad vitanda peccata & tentationes superandas.

Vnde Concilium Tridentinum appellat hoc Sacramentum Antidotum, quo à mortalibus præseruamur & à venialibus liberamur. sess. 13. c. 2. donum itidem perseuerantiæ datur per auxilia actualia: & licet hic effectus non sit infallibilis absolutè propter falibilem dispositionem recipientis, est tamen infalibilis ex parte Sacramenti, quod sufficit. Vel si est falibilis talis effectus ex parte Sacramenti, hoc verum est si habeatur respectus ad tempus sumptionis Sacramenti, non vero si ad tempus oportunum modo digne cõmunicauerit; quia talis effectus non semper datur statui quando recipit Sacramentum, sed tempore oportuno pro quo est promissus.

Non est autem quod quis tristetur nisi sentiat illum feruorem charitatis & illam

ſuauitatem quando cõmunicat: quia etiã ſi digne cõmunicauerit poteſt hunc effectum non conſequi, vel quia illi non expedit, vel quia negligẽter accedit, vel quia naturaliter eſt diſtractus.

De remiſsione peccatorum venialium.

SECTIO IX.

PEccata venialia etiam remittuntur ex opere operato per iſtud Sacramentum: ad quem effectum, duo ſunt neceſſaria ex parte ſumentis. 1. Quod ſit in gratia. 2. Vt non inueniat actualem affectum peccati talis, quia non poteſt veniale peccatum remitti ſine mortali, & licet hoc Sacramentum remittat veniale peccatum ex opere operato, non tamen pœnam tẽporalem, quia talis pœna remittitur ſecundum valorem actus hominis.

Verum talis pœna remittitur per Euchariſtiam quatenus ſacrificium, ergo non erat neceſſe vt remitteret etiam in

ratione Sacramenti, vnde Euchariſtia tantum prodeſt ſumenti vt Sacramentum, aliis vero vt eſt ſacrificium, & ita promiſſio gratiæ ſolum reſpicit ſuſcipientem, iuxta illud, qui manducat me viuet propter me, & ſic de aliis.

Et licet aliqui fideles Pij, & docti pro aliis communicent & pro animabus purgatorij: non eſt quod hæc communio illis proſit ex opere operato, ſed ex opere operantis, & per modum ſuffragij: & quia talis cõmunio eſt actus meritorius, poterit prodeſſe aliis per modum meriti de congruo, vel per modum impetrationis.

De effectu Euchariſtiæ circa corpus recipientis.

SECTIO X.

DOcent Theologi Euchariſtiam habere aliquam efficaciam in corpore digné ſuſcipientis, moderando ſcilicet fomitem peccati, excitando alios bonos affectus in appetitu ſenſitiuo, vt iucũdius

& promptius homo virtutem operetur.

Ipſe autem effectus duobus modis intelligi poteſt. 1. indirecte quia quando augetur charitas concupiſcentia minuitur. 2. directe, per actionem ſcilicet factam circa corpus.

Et iſte modus tripliciter etiam poteſt intelligi. 1. Per redundantiam ex affectibus voluntatis excitatis per virtutem Sacramenti, qui efficiat moderationem concupiſcentiæ & terrenæ voluptati 2. Per actionē propriā excitādo phantaſmata, humores, & ſpiritus animales circa imaginationem, vel appetitum ad talem effectum neceſſariæ. 3. Per alterationem corporis moderando temperamentum eiuſdem, ſcilicet remittendo nimium calorem: extinguendo paulatim ardorem libidinis, vel immediate per Sacramentum modo ſupernaturali, vel applicando cauſam aliquam naturalem ex qua talis effectus ſequatur.

His modis, hoc Sacramentum phyſicè vel moraliter corpus ipſum moderatur & reddit magis diſpoſitum ad operandum virtutem & vitandum malum: vnde ratione huius Sacramenti excitātur in homine

cogitationes & affectus acommodati ad eum finem. Tolluntur occasiones extrinsecæ quæ mouere possunt prauos motus, expelluntur dæmones ne augeant incendium fomitis, vt docet. D. Chrysost. hom. 45. in Ioannem.

De resurrectione corporis, vt est effectus Sacramenti Eucharistiæ.

SECTIO XI.

RESurrectio corporis speciali titulo est effectus huius Sacramenti, scilicet propter vnionem factam cum Christo per hoc Sacramentum; non enim repugnat rem aliquam pluribus titulis promitti & deberi, vt patet in Christo cui debebatur gloria corporis ratione vnionis hypostaticæ, & ratione gratiæ & gloriæ animæ & titulo suorum meritorum.

Istud congruebat vt augeretur spes nostra, deuotio, & reuerentia circa hoc Sacramentum; & vt significaretur efficacia viuificæ carnis Christi, quæ est proxima

causa nostrę resurrectionis & vitæ immortalis. Decuit etiam vt corpora nostra coniungerentur carni Christi per hoc Sacramentum, tanquam principio & origini suæ immortalitatis; & propterea dicitur hoc Sacramentum datum, vt pignus fœlicitatis, & gloriæ.

Vnde fit vt qui vixerunt ante institutionem huius Sacramenti, & qui illud non susceperunt, non minus glorificabuntur in corpore & anima, modo obierint cum gratia: sed solum priuabuntur illo speciali titulo, hoc est: gloria corporis non dabitur eis propter specialem promissionem factam huic Sacramēto, quod parum vel nihil refert ad perfectionem gloriæ: nisi forte quia habebunt aliquod gaudium accidentale, propter participationem huius Sacramenti: non quidem suscepti voto & desiderio, sed realiter & Sacramentaliter, & sub ea ratione est veluti effectus huius Sacramenti ex opere operato, ad quem adipiscendum requiritur communio realis & Sacramentalis.

De vnione Christi cum communicante.

Sectio XII.

MVlta hic ſunt notanda ex doctrina Theologorum. 1. Non ſolum ſuſcipimus Chriſtum in figura aut per fidem, ſed vere & realiter per os corporeum & talis receptio vocatur vnio corporalis à ſanctis Patribus: vel naturalis vt diſtinguitur cõtra vmbratilem, vel figuratiuam; & ſic de aliis nominibus; & in hoc conſiſtit vnitas naturalis Chriſti in nobis; quæ non eſt aliud quam præſentia corporalis Chriſti in nobis per realem manducationem: & proprie non eſt effectus huius Sacramenti, ſed potius eiuſdem vſus: quatenus, vſus includit motum manducationis & terminum phyſicum eius; & talis vnio tam eſt cõmunis peccatoribus quam iuſtis, de qua loquitur. D. Hilarius.

2. Notandum eſt non fieri vnionem phyſicam Chriſti veram cum corpore no-

ſtro propter contactum ſpecierum ſub quibus Chriſtus continetur,& ſic ſoluuntur argumenta cuiuſdam opinionis.

3. Talis vnio quæ fit per contactum ſpecierum non fit immediate in omnibus partibus corporis communicantis ſed ſolum in parte determinata ad quam ſpecies conſecratæ perueniunt.

4. Vnio quæ fit per ſumptionem Sacramentalem non eſt ſpiritualis, niſi in his qui digne cõmunicant, ergo nulla realis vnio fit per Sacramentum inter nos & Chriſtum præter dignam ſumptionem; Magis tamen vnitur Chriſtus ſpiritualiter & Sacramentaliter,. quam ſpiritualiter præciſe, vel Sacramentaliter: quia quando Chriſtus ſumitur digne realiter coniungitur ſuſcipienti, intra ipſum conſtituitur & quodam corporali amplexu apprehenditur: & ratione illius contactus cenſetur hic eſſe quaſi aliquid Chriſti, & Chriſtum habere ſpecialem curam animæ & corporis: quod verum eſt de eo qui digne eum communicauit, talis vnio poteſt dici ſubſtantialis, quia eſt inter ſubſtantias, & corporalis quia eſt inter corpora.

Vnde ſicut homo per vinculum matrimonij accipit ius ad commiſtionem carnalem cum vxore: & ſicut vir & vxor non efficiuntur proprie vna caro niſi carnaliter commiſceantur: ita accipimus per baptiſmum ius ad corporalem vnionem cum Chriſto, quæ fit de facto per Sacramentum, & quia Chriſtus & nos ſumus vna caro.

Proprie autem hæc vnio vocatur myſtica, ſeu moralis; fundata aliquo modo in vinculo corporali ſeu miſtione. Nam licet vnio mere ſpiritualis ſufficiat ad myſticam vnionem cum Chriſto, vt patet in iuſtificatis per baptiſmum & pœnitentiam: & in his qui fuerunt ante inſtitutionem huius Sacramenti: magis tamen cenſetur vnio myſtica per ſpecialem gratiam Sacramentalem propter præſentiam Chriſti corporalem.

De ado-

De adoratione Christi in Sacramento.

SECTIO XIII.

DE fide est Christum debere adorari existentem in Sacramento non minori veneratione ac cultu, quam si in propria specie clarè & sensibiliter conspiceretur. Modus enim existendi naturalis vel sacramentalis, sensibilis vel insensibilis nihil refert, alias Deus ipse adorandus cum credatur & non videatur: hoc confirmatur ex antiquo ritu Ecclesiæ in eleuatione hostiæ & calicis, finita consecratione: quia licet mysticè hoc significet Christum eleuatum in cruce vel resurrectionem, ascensionem, aut eleuationem mentis in Deum: tamen literaliter significat venerationem quam præstare debēt fideles videndo hostiam: Huc pertinet quod sancti dicunt cœlos aperiri ad verba consecrationis, & multitudinem Angelorum ad Christum descendere.

Præterea latria cultus non solum de-

ferendus est Christo, sed toti Sacramento vt ex Christo & speciebus constat: vnde canit Ecclesia, *Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui, &c.* quia est vnicum suppositum Sacramenti, coadorantur species, vt Christo coniunctæ, & cum illo vnum componuntur: vt quando adoratur imperator coadoratur etiam thronus & purpura eius, imò sæpius adoratur persona per vestem, aut pedem eius, quia licet intentio adorãtis tendat in personam, actio tamen externa adorantis immediatius versatur circa vestes. Maior autem est coniunctio vel habitudo Christi ad species, quæ sunt veluti thronus eius.

Eucharistia nedum est adoranda interiori cultu, sed etiam exteriori. Licet enim Deus possit adorari corpore & spiritu: maiori tamen quadam ratione competit rei habenti speciem visibilem: competit etiã ex parte hominis adorantis, quia constat corpore & anima.

Quod patet etiam ex traditione Ecclesiæ, & vsu. Vnde laudabilis est vsus Ecclesiæ proponendi & circumferendi publicè Eucharistiam cum solemni pompa, cultu & veneratione: annuente Concilio

Tridentino: & ſuadetur optimis rationibus.

1. Vt Chriſtiani homines ſingulari ac rara quadam ſignificatione gratos, & memores teſtentur animos erga communem Dominum; vt figuratum eſt de Dauide ludente coram arca Domini.

2. Vt hoc diuino beneficio mortis Chriſti victoriam, & triumphum repræſentemus.

3. Veritatem de mendacio & hæreſi ageret Eccleſia, vt eius aduerſarij in conſpectu tanti ſplendoris, & in tanta vniuerſæ Eccleſiæ lætitia poſiti, vel debilitati & fracti tabeſcant, vel pudore affecti, & confuſi aliquando reſipiſcant.

Omnes autem tenentur præcepto, non tractari irreuerenter Euchariſtiam: & cũ ſit præceptum negatiuum obligat ad ſemper, & pro ſemper: cum verò eſt affirmatiuum reuerentiæ tunc obligat tempore oportuno. Vt patet hoc exemplo. Licet non teneamur ſemper Regem honorare, tamen ſi præſens nobis fiat, vel cum eo loqui velimus, ſed ei honorem non exhibeamus, cenſebitur quædam inhonoratio. Multo maiori ratione, non adorando

Christum in Eucharistia.

Specialia tamen tempora adorationis possunt assignari, vt quando accedimus ad sacrificandum, cum sit perfectissimus actus exterior religionis; & supremus Dei cultus. Quando fideles accedunt ad communionem. Quando proponitur ab Ecclesia adorandum: & quando eleuatur in Missa. Quando hoc Sacramentum nobis occurrit, aut præsens fit: omissio tamen huius adorationis non est peccatum mortale: si non fiat ex contemptu, & nisi oriatur scandalum.

Deinde Eucharistia est simpliciter adoranda latria absoluta & perfecta, quia hoc sacramétum in re est vnum constans ex I. Christo, & speciebus: vnde differunt species consecratæ ab alijs rebus sacris, & sacramentalibus signis, vt sunt Crux Imagines, & similia, quia cum sint separatæ à Christo, possunt separatim, & respectiue adorari.

Vt ergo vnico actu adorentur oportet mente, vel apprehensione coniungere illa cum rebus per se adorandis: species autem quandiu continent Christum, tandiu vnico actu regulariter debent adora-

ri: dico regulariter: quia ſi quis velit eas ſe iungere à Chriſto mente, & intellectu poterit ſolas adorare tanquam rem ſacrã ſanctificantem ex cõiunctione ad Chriſtũ, erit adoratio tantum reſpectiua, & ſecundaria latria, qualis eſt adoratio imaginis, quando à prototypo ſeparata adoratur.

Item Euchariſtia debet adorari ſine conditione aliqua; vnde D. Thomas dicit ſufficere conditionem in habitu, quod eſt habere in mente intentionem adorandi verum Chriſtum, verumq; Sacramentum, & non exhibendi adorationem niſi cum hac prudenti exiſtimatione.

Quod probatur.

SECTIO XIV.

QVia vt homo ſimpliciter & abſolutè operetur ſufficit moralis certitudo. Alioqui nec parentes poſſemus abſolute venerari, quia non niſi fide quadam humana eos, vt parentes recognoſcimus:

nec Sacerdos poſſet abſolute,intentione abſoluta ,ſed ſub conditione baptizare ſi es baptizatus,&c.

Moralis autem certitudo,vt hic ſpectat, naſcitur ex vno principio de fide,& alio humano modo certo. Quod ſi contingat eſſe panem tantum, deceptio erit materialis: formaliter vero adoratio referetur in Chriſtum.

Requiritur tamen explicita conditio adorandi Chriſtum ſolum in Sacramento ſi ſit probabilis ratio dubitandi de veritate Sacramenti ex parte materiæ vel miniſtri, vt ſi Chriſtus appareat in reuelatione aliqua ,quando res eſt dubia non eſt adoranda Euchariſtia donec ſit moralis certitudo.

Si vero quæras:An actus adorationis circa panem non conſecratum ſit latria.Suares reſpondet bonum eſſe moraliter &honeſtum; quia procedit ex mutuo honeſto & per prudentiam regulatur. Vnde fit eſſe latriam,& actum religionis:& poteſt talis actus eſſe etiam à virtute infuſa ſi procedat ex motiuo ſupernaturali,ſeu ex conformitate ad ſupernaturalem regulam.

Sicut qui dat eleemoſinam homini pe-

tenti nomine Christio, peratur sane ex misericordia infusa, si prudenter existimet illum esse pauperem quamuis speculatiue contingat decipi.

Differunt enim virtus moralis & fides: quia veritas fidei est speculatiua & consistit in conformitate intellectus ad rem ipsam: virtus autem moralis regulatur immediate per prudentiam cuius veritas est practica & versatur circa iudicium de re facienda secundum præsentes circumstantias. Quod quidem iudicium potest esse practicè verum quamuis misceatur aliqua falsitas speculatiua in persona materiali seu in obiecto.

De dispositione sumentis Sacramentum.

SECTIO XV.

CAracter baptismalis est prima dispositio ad Sacramentum Eucharistiæ sine quo homo nedum est indisposi-

tus, ſed etiam incapax; ſicut enim qui non eſt genitus, non eſt capax nutrimenti; ita qui non eſt regeneratus in Chriſto non eſt capax eius alimenti.

Deinde accedens ad hoc Sacramentũ cum conſcientia peccati mortalis, peccat mortaliter. Nam dicitur indigne ſumere qui accedit cum praua conſcientia. Manducare etiam ſibi iudicium, eſt nouam culpam contrahere ex tali manducatione, nec poteſt dici aliquem ſe diſponere ad gratiam: quia nemini in hac vita denegat auxilium, quod ſi tanta ſit difficultas: vt non poſſit ſe diſponere, debet retardare quoaduſque vicerit hanc difficultatem.

Excommunicatus recipiens communionem duo peccata committit exercendo actum prohibitum, & indigne communicantem: vel potius duæ ſunt rationes, & cauſæ malitiæ, quibus non ſunt forte duæ malitiæ diſtinctæ: ſed vna grauior: quia recipiens Sacramentum cum peccato veniali non eſt peccatum mortale, cum tale peccatum non tollat charitatem.

Præterea, accedens cũ oſtentatione, vana gloria, & peccat venialiter, vel ſi ſit actu

in peccato veniali, vt in vana cogitatione, aut delectatione: propter quam accedit diſtractus, & ſine debita intentione & deuotione.

Peccat etiam venialiter, accedens ad Euchariſtiam cum conſcientia multorum venialium, quia ſatis dijudicat corpus Domini, & ponit obicem aliquibus effectib. Sacramenti, quales ſunt remiſſio venialiũ, & actualis feruor charitatis, & non poteſt excuſari ab aliqua irreuerentia: circa hoc Sacramentum. Accedens ad Euchariſtiã cum peccato veniali habituali, vel pluribus habitualibus non peccat venialiter: dummodo procuret accedere cum deuotione, timore & reuerentia.

Pręceptum autem cõmunicandi digne ſine peccato mortali non eſt poſitiuum Eccleſiaſticum, & diuinum propriè, ſed naturale: quia intrinſecè conſequitur, ex inſtitutione, dignitate & ſanctificatione huius Sacramenti. Nulla autem actualis diſpoſitio requiritur ad hoc Sacramentum, præter gratiam habitualem de rigore præcepti.

De peccato indignæ sumptionis.

SECTIO XVI.

PEccatum indignæ sumptionis est sacrilegium: quia cum Eucharistia sit res maxime sacra cui debeatur cultus, & reuerentia ex virtute religionis, iniuria illi facta est contraria religioni.

Non est tamen ita graue sicut hæresis, desperatio & odium Dei, quia ista peccata sunt contra virtutes Theologales, istud autem contra religionem: quæ postponitur his virtutibus, quæ attingunt immediatius Deum, grauius tamen est iis quæ sunt contra virtutes Morales saltem in genere.

Hoc peccatum est grauissimum in tertio gradu, inter ea, quæ opponuntur religioni: in primo enim gradu sunt illa quæ fiunt contra Deum & diuinitatem eius, vt est blasphemia periurium, & peccatum contra Spiritum Sanctum: in secundo sunt peccata contra humanitatem Christi, vt existit in propria specie.

Maior enim est irreuerentia quæ ei fit in propria specie, quia maxime coniuncta est Deo. In tertio est peccatum sacrilegij contra hoc Sacramentum, quia realiter in eo Christus continetur: quamuis sub aliena specie, & quia inter alias res sacras, est sacratissima: ergo grande sacrilegium est communicare indigne. Maius tamen illud proijcere canibus & pedibus conculcare, quia quamuis peccator sit indispositus ad vnionem cum Christo: tamen de se est capax illius, non autem brutum: ideo est maior abusus, horror & iniuria.

Suares tenet homicidium regulariter esse grauius peccatum, quam sit sumptio indigna huius Sacramenti, quia homicidium infert magnum nocumentum proximo & irreparabile: indigna vero communio non infert Christo nocumentum, licet ipsi iniuriosa sit. Vnde quando patres comparant istud peccatum cum traditione Iudæ, & peccato crucifixorum Christi: hoc non intelligitur secundum æqualitatem, sed secundũ proportionẽ & imitationem: sic quia sicut Iudas osculo tradidit Christum inimicis eius: Ita peccator communicando indigne, veluti os-

culo Christum tradit homini indigno, & eius inimico: & sicut crucifixores sanguinem Christi fuderunt in suam perniciem, ita etiam peccator quodammodo sanguinem Christi fundit in suam perniciem sumendo illum indigne.

Grauius peccat infidelis sumendo Eucharistiam quam fidelis peccator, loquendo moraliter; quia status infidelis est simpliciter peior, & indignior: quod si aliqua ignorantia excusetur, est per accidēs, nam accidere potest quod erit hæreticus circa alia mysteria, non tamen circa istud & aliquando, ita erit crassa ignorantia vt fere nihil excuset: loquendo dico moraliter, ex obiecto status seu ex genere, quia in particulari tanta poterit esse malitia & acerbitas peccatorum hominis fidelis, vt sit simpliciter indignior.

Dices ex August. lib. 50. homiliarum, homil. 26. non esse minus peccatum indigne audire verbum Dei quam indigne communicare, quia non est minus (inquit) verbum Dei quam corpus Christi, & hoc asseruit etiam Origen. hom. 13. in Exod. Non est inquit minor culpa negligere verbum Dei quam corpus Christi, sed

negligere audire verbum Dei sine fructu non est peccatum tam graue: ergo nec indigne communicare.

Respõdetur id verum esse obiectiue non autem formaliter. Nam si verbum Dei sumatur de predicatione & doctrina diuina, non potest æqualiter dici verbum Dei non esse minus quam corpus Christi, sed solum secundum quandam habitudinem, & respectum ad diuinam personam cuius modi dicimus verbum Regis non esse minus quam corpus Regis, vel non minus esse venerandam imaginem Regis, vel alium qui gerit personam eius quam ipsius Regis.

Si autem sumatur verbum Dei obiectiuè tunc secundum veram æqualitatem non est minus verbum Dei: quam corpus Christi: quia res quæ prædicatur per verbum Dei non est minus digna, quia sub negligentia audiendi verbum Dei potest intelligi contemptus Dei & fidei: qui quidem Deus per verbum prædicatur. Adde quod cum verbum Dei sit organum, & instrumentum quo Deus vtitur ad humanam salutem eius contemptus, & neglectionis tam affert damnum quam cõmunio indigna.

quam requirebant patres ante communionem intelligenda est de Sacramentali propria Christiano.

Si liceat communicare sine præuia confeßione.

Sectio XVIII.

FAtentur Theologi aliquando esse licitum sumere post peccatum mortale: sine præuia confessione : quia cum ante communionem confessio sit præceptum affirmatiuum, non obligat pro semper, sed ad semper positis circumstantijs. Vt autem liceat, duæ sunt, circumstantiæ ex Concilio Tridentino obseruandæ, his verbis. Necessitate vrgente & modo desit copia confessoris: quia præceptum diuinum non obligat nisi vbi impleri potest. 1. circunstantia quatuor casibus explicari potest, in primo.

Richardus 4. dist. 17. art. 3. q. 6. tenet confessionem posse differri quando non adest Sacerdos, & quando alius expectatur

tur

tur cui deuotius confiteretur. Vnde aliqui Summistæ, vt summa Tosella, tenent religiosum posse facere sacrum & differre confessionem quousque sit in claustro, vt aliquam suæ religionis infamiam excusset: quod tamen negat Suares, asserendo non esse differentiam inter laïcum & religiosum, cum vterq; æque obligetur ad diuinum præceptum. Vnde laïcus Sacerdos potest esse sufficiens minister ad confessionem religiosi: personalis enim lapsus religiosi non infert infamiam religioni, & vbi seruandum est sigillum confessionis non existimatur grauis infamia.

2. Negat etiam Suares, cõfessionem posse differri si non sit proprius & ordinarius Sacerdos, quia diuinum ius non requirit hunc vel illum ministrum, sed solum illũ cui homo rectè & ritè confiteri possit.

3. Confessio potest differri, quando peccator timet Sacerdotem (qui solus adest) non obseruaturum sigillum aut illaturum aliam grauem iniuriam, sibi audita confessione: ipsa enim causa est sufficiens ad tacendum peccatum in confessione, quod potest accidere duobus modis (inquit Suares) 1. Si peccator ex confessione

peccati mortalis timeat graue detrimentum: tunc potest confessionem omittere, quia deest illi copia Sacerdotis.

2. Si peccator habeat multa peccata mortalia, & non timeat periculum, & detrimentum nisi ex vno, debet confiteri omnia alia (tacendo illud) ante communionem. Vnde si peccator agnoscat se nõ esse contritum & attritum, non tenetur communicare, non quidem ex vi præcepti confitendi, quod obligat confiteri omnia peccata mortalia, sed ex naturali, & diuina lege, quæ iubet tractare sancte, quæ sancta sunt.

4. Quando peccator habet peccatum reseruatum superiori, & non potest illum adire, nec facultatem petere, quia tunc cum vrget necessitas potest communicare ante confessionem, dummodo alia peccata non habeat, quia si alia non reseruata habeat, tenetur ad confessionem cum proposito comparandi coram superiore pro absolutione casus reseruati.

Alia sententia securior, tenet peccatorem debere confiteri bis peccatum reseruatum, & confessori, & postea superiori. Nam posset aliquis eo pretextu multis

annis non confiteri, & ſæpius communicare ſine confeſſione, quia videlicet habet caſum reſeruatum, & non poteſt abſolui ab inferiori, nec adire ſuperiorem, ex quibus caſibus deducitur iſta regula generalis.

Ille non habet copiam Sacerdotis iuxta dictum Concil. Trident. quando quis ſine graui damno & periculo confiteri poteſt, & quando non adeſt Sacerdos habēs iuriſdictionem ſuper peccata mortalia, quantum autem debeat diſtare Sacerdos non poteſt tradi regula; ſed relinquitur maturo iudicio. Nam quidam faciunt facillime iter vnius leucæ, alteri non, quidam poſſunt adire cum ſcandalo, alteri non, &c.

De neceßitate communicandi omiſſa confeßione.

Sectio XIX.

Neceſſitas communicandi, omiſſa confeſſione, poteſt inueſtigari per

ſeptem cauſas ſeu rationes. 1. Quando eſt periculum mortis, & non eſt Sacerdos, ſed ſolum diaconus, qui debeat vel poſsit miniſtrare Euchariſtiam communicanti, periclitanti, quia tunc eſt maxima neceſſitas.

2. Quando aliquis periclitatur & accedit ad exitum, tunc poteſt Sacerdos ſacrum facere non præmiſſa confeſsione, vt eum communicet, quia neceſsitas infirmi reputatur, vt propria Sacerdotis propter vnionem & obligationem charitatis.

3. Quando non poteſt infamiam magnã vitare ſi non communicet, ſi poſsit autem vitare aliqua excuſatione, tunc nulla eſt neceſsitas.

4. Quando ſequitur ſcandalum ex omiſſione communionis, & Miſſæ dicendæ. Suares tenet admirationem populi non eſſe cauſam ſufficientem communicandi ſine confeſſione, niſi ei coniuncta ſit infamia, vel ſcandalum, quod ſæpe tamen accidit. Nam ſi hæc admiratio cauſet murmur, vel iudicium temerarium in leuibus hominibus, tunc eſt iuſta cauſa.

5. Eſt neceſſitas abſoluendi ſacrificium, iam inchoatum, vt ſi quis incepta Miſſa re-

cordetur non esse confessum peccatum quod commisit.

Scotus in 4. dist. 9. q. 1. tenet Sacerdotem debere pręmittere cõfessionem ante celebrationem Missæ, & adire Sacerdotem etiam si debeat exui vestibus sacris, dummodo non sequatur infamia, vel scandalum.

Diuus etiam Bonauentura in 4. d. 13. tenet Sacerdotem debere præmittere cõfessionẽ, Iam inchoata Missa, si possit faciliter vocare ad altare Sacerdotem, quia cùm pars illa prior Missæ sit extrinseca sacrificio, potest interrumpi sine indecentia ex rationabili causa, vt fieri solet per concionem, & populi orationem; & si non possit vocari Sacerdos, non tenetur qui celebrat, relinquere altare & inchoatum sacrificium.

6. Quando aliquis admoto ad communicandum non potest sine scandalo, vel nota, recedere à communione, vt confiteatur peccatum quod recordatur omissum in confessione, vel si possit abstinere à communione tutius erit; si tamen communio fiat publice, & coram alijs, tunc poterit communicare sine scrupulo.

7. Quando Sacerdos tenetur ex officio facere sacrum, vt frequenter accidit, in parochijs plebicolis. Addit Soto eam necessitatem satis esse vt possit bis aut ter fieri, non vero sæpius: periculum tamen est ipsis parochis si propterea sument facilius occasionem peccandi.

Non debet etiam Sacerdos facere sacrum vt alij audiant, quamuis non sit alius qui celebret: nam si non celebret, alij non peccabunt, cùm nullus sit qui celebret, dummodo talis Sacerdos ad id non teneatur, & non sit infamia, & scandalum. Et quia lex Ecclesiastica præcipiendo communionem non intendit obligare nisi quando debito modo seruari potest, hoc est, per præparationem & confessionem, ideo Sacerdos non debet facere sacrum, vt ipsemet impleat præceptum audiendi missam; quod non obligat ad sacrum faciendum, nisi præuia confessione.

Si Contritio requiratur prætermisso peccato mortali.

Sectio XX.

QVi habet conſcientiam peccati mortalis, hoc eſt, ſi ſciat illud, & ſuum ſtatum, accedens ad ſacramentum, ſi non poſsit confiteri, debet prius habere contritionem, quàm accedat ad ſacramentum: ideo non debet quis accedere, niſi exíſtimet peccatum ſibi eſſe remiſſum probabiliter.

Et licet peccator teneatur ex lege naturali & diuina conteri ante communionem, & peccato commiſſo, non tamen tenetur conteri in confeſsione ante communionem, quia attritio coniuncta ſacramento confeſsionis æquiualet contritioni; & ſicut contritio expellit peccatum, ſic etiam attritio iuncta confeſsioni: *ex attrito enim fit contritus virtute clauium*; & ſicut per contritionem impletur præceptum & obligatio naturalis ad digne &

sanctè accedendum ad communionem, sic etiam impletur obligatio naturalis per attritionem iunctam confesſioni ad dignam communionem.

Deinde qui recipit hoc sacramentum cum sola attritione, non sanctè, sed indigne recipit illud, & ponit obicem sacramento: qui vero accedit bona fide, excusatur ab hoc peccato.

Qui communicauit indigne sine confesſione, non tenetur postea hoc titulo statim confiteri, sed solùm tempore aliàs debito: quia si consideretur præceptum confitendi vt affirmatiuum, tunc non obligat pro semper, sed pro certis temporibus & oportunitatibus, quibus cessatis, cessat omnis obligatio. Nam præcepta affirmatiua non obligant per modum restitutionis ad faciendum actum omissum debito tempore; aliàs qui omisit sacrum in die festo, deberet statim die sequenti audire.

Si vero consideretur præceptum confitendi vt negatiuum, obligat solùm ad non communicandum iterum sine præuia confesſione.

Qui etiam bonâ conscientiâ & vrgen-

te necessitate prætermisit confessionẽ ante communionem, non tenetur statim confiteri, scilicet ex vi præcepti diuini: idem dicitur de Sacerdote qui ministrat sacramentum in peccato mortali.

Vt aliquis cõmunicet digne sine pręmissa confessione, propter inopiã Confessoris, non requiritur vt nota occasione habeat propositum speciale statim confitendi: sed sufficit quod habeat propositum, quod requiritur ad contritionem; quia si non tenetur statim confiteri post communionem, ergo non tenetur proponere id facere: ad contritionem autem sufficit propositum confitendi tempore debito.

Qui vero post conscientiam peccati mortalis communicat sine confessione, tenetur iure Ecclesiastico confiteri cùm primùm possit, iuxta Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 7.

Notanter dicitur iure Ecclesiastico, quia non est obligatio ex iure diuino & naturali, & præceptum istud Ecclesiasticum non est antiquum, sed nouum, & à Concilio Tridentino latum: quia non inuenitur ante illud nec scriptum, nec tra-

ditum, nec consuetudine introductum.

Vnde sicut tenetur communicans habere propositum seruandi alia præcepta, sic debet etiam habere propositum seruandi & confitendi quamprimum possit.

Suares tenet hoc præceptum Ecclesiasticum tantùm obligare Sacerdotes, quia Concilium Tridentinum tantùm mentionem facit de Sacerdotibus. Lex autem positiua explicanda est solùm cum verbis suis, nec extendenda est vltra proprietatem suorum verborum, quamuis aliud censeat Nauarrus c. 2. num. 10.

Vnde sequitur Sacerdotem qui communicat more laïcorum, non teneri, sicut laïcus, ad hoc præceptum, quia non gerit se vt Sacerdos, sed vt laïcus. Secus est de Sacerdote faciente officium in die Parasceues, & de illo qui communicat post consecrationem in peccato mortali, vel peccauit mortaliter post cõsecrationem, & communicat prætermissa confessione; & de illo qui assumitur ad complendum & consumendum sacrificium ab alio qui moritur, inchoatum post consecrationẽ; quia satis est vt solemni ritu Ecclesiæ, & vt minister publicus consumet sacrifi-

cium, seu sacramentum. Hæc enim actio est Sacerdotis vt talis est.

Sequitur etiam ex verbis Concilij Sacerdotem non teneri ad præceptum Ecclesiasticum, qui oblitus est peccatum ante communionem, de quo non est confessus: quia qui bona fide accedit oblitus, non habet conscientiam sui peccati, & nihil omittit materialiter & formaliter. Quod præceptum est iure diuino, secus est si obliuio duret tantùm ante sumptionem, quia si sumat cum recordatione sui peccati sacramentum, iam tenetur confiteri secundum præceptum, quod quidem præceptum omittit sine peccato propter vrgentem necessitatem.

Sacerdos etiam qui ob malitiam non præmisit confessionem peccati mortalis, cuius conscientiam habebat ante communionem, non tenetur ad illud præceptum obseruandum, quia satis ad id obligatur iure diuino, non vrgente necessitate, & ideo non oportuit de nouo obligationem vel laqueum ei imponere.

Item nullus per se loquendo peccat statim communicando post peccatum mortale præmissa confessione: quia nul-

la est lex posita, humana, vel diuina, quæ imponat obligationem non statim communicandi, quamuis consulat D. Thomas hoc non statim fieri.

Vnde Diuus Paulus dicit solùm, *Probet autem seipsum homo, &c.* id est, si post probationem nullum agnoscit in se mortale peccatum, vt omnes exponunt, & ita etiam omnes intelligunt id quod addit, *Qui enim manducat indignè*, id est, cum conscientia mortalis peccati: ergo si peccatum mortale non est in anima, neque in conscientia, per se non impedit etiam si ante breue tempus præcesserit.

Neque dicendum est esse aliquod peccatum, quod magis impediat communionem alio, quia etsi videatur in aliquibus maior indecentia, tamen quia carentia diuinæ amicitiæ (quæ essentiale obstaculum) est eiusdem rationis in omnibus peccatis nullum magis impedit communem alio.

Et ita, quando Diuus Augustinus dicit se nec laudare, nec vituperare eum qui quotidie communicat, solùm ab eo exigit vt non grauetur conscientia peccati mortalis, vt videre est epist. 116. de Eccle-

siasticis dogmatibus, cap. 53.

Notanter dictum est per se loquendo, quia ex accidenti potest esse peccatum graue ratione scilicet scandali, si peccatum sit publicum, & maxime si sit in consuetudine, quæ nota sit alijs & ratione contemptus, seu proprij scandali.

Vt si homo acquirat ex hac occasione facilitatem peccandi non adhibendo medicinam moraliter necessariam, vt sese contineat, quia peccatum recens, & maxime carnis, non tam facile odio habetur.

Colligitur etiam ex D. Thoma, hominem ex consilio abstinere se à communione, aliquo tempore, saltem, per diem post peccatum mortale commissum: etiam si videatur satis esse dispositus, & sine conscientia peccati mortalis.

Sacerdos non debet dare Eucharistiam peccatori existenti in peccato mortali: quia ei probibetur sanctum dare canibus, & indigne tractare hoc Sacramentum, & talis obligatio est ex ipsa lege naturali, & diuina supposita institutione Sacramenti; quia Sacerdotes non sunt tantum dispensatores: sed fideles dispensatores, vt pru-

dentia & conuenienti modo dispensent tantum Sacramentum: quia nullus debet cooperari peccato alterius, quod facit minister communicando sacramentum indigno.

Peccator etiam non habet ius petendi Eucharistiam simpliciter per solum characterem baptismalem, sed per ipsam gratiam, quam cõfert baptismus cum charactere. Nam character dat potestatem ad susceptionem sacramenti: gratia vero ad digne suscipiendum sacramentum: ergo qui est in peccato mortali, non habet ius ad petendum: donec restituatur ad priorem statum per claues Ecclesiæ, vel in ordine ad illas.

Sacerdos insuper non debet inuitare peccatorem ad sacramentum perseuerando in statu peccati, quia licet Christus dixerit Apostolis, inter quos erat Iudas, *comedite & bibite ex hoc omnes*: non tamen induxit Iudam, sed permisit illius peccatum, nec debuit ipsum inuertere ordinem suæ prouidentiæ, tali tempore in quo expediebat istud dare sacramentum: quinimo diligentiam adhibuit, vt se disponeret, & cor eius immutaret, & Iudas ibi as-

ſiſtens virtualiter petebat, & à communi conuiuio excludi nolebat.

Cum autem Sacerdos vel diaconus communicans ſeipſum in peccato mortali incurrat plures malitias ſecundum moralem ſpeciem diuerſas (aliud enim eſt agere adminiſtrando, & aliud recipere Sacramentum) ideo debet in confeſſione aperire vtrumq;, nec ſatis eſt dicere ſe cõmunicaſſe in peccato mortali, ſed debet dicere ſe celebraſſe in peccato mortali niſi recipiat ſacramentum à miniſtro, alias more laïcorum.

Iſtud autem præceptum non eſt ſimpliciter negatiuum, vt obliget pro ſemper, ſed reducitur ad affirmatiuum.

De peccatore publico.

SECTIO XXI.

Eucharistia non eſt danda peccatori publico eum petenti publice, vel oculte: vnde D. Chryſoſtomus hom. 83. in Math. loquẽdo Sacerdotibus ſic ait. Non

parua vobis imminet pœna si quem aliqua improbitate teneri scientes ei huius mensæ participationem permittatis, sanguis enim Christi de manibus vestris exquiretur, & subdit inferius; non de ignotis, sed de notis disputo.

Vnde peccatoribus publicis, vt sunt vsurarij, & meretrices, & alij quorum actiones exerceri non possunt sine peccato mortali, prohibetur dari sacramentum. Si tamen oculte petant, satis est, vt oculte egerint pœnitentiam, & confessi fuerint, dummodo constet ministranti.

Si vero publice petant, necesse est, vt pro ratione status publice etiam agant pœnitentiam & satisfactionem, saltem vt conuersio eorum sit publica & manifesta. Nã hoc necessarium est, vt tollatur scandalũ, & vt digne tractetur sacramentum coram Deo, & hominibus: quod si publicus peccator sit in articulo mortis, satis est vt signa contritionis exhibeat.

Eadem ratio est etiam de peccatore oculto petẽte Eucharistiam occulte, quia talis peccator non habet ius petendi, dũmodo Sacerdos sciat illum esse talem. Suares tenet Sacerdotem debere negare

Eucha-

Eucharistiam peccatori, cuius peccatum scit tantum per suam confessionem, quia negare communionem peccatori in eo casu, est actus consentaneus potestati clauium, & nullo modo est contra sigillum.

Nam potestas clauium data est, vt qui illam habet, dignos admittat, & indignos à communione repellat: ergo vtitur Sacerdos potestate clauium, negando illi sacramentum, & iure sibi concesso; quod patet de Sacerdote sciente peccatorem per suam confessionem habere propositum occidendi ipsummet Sacerdotem, cui denegare debet sacramentum.

Et licet Confessor dicatur scire peccatum in confessione vt Deus, & vt Dei minister: scientia tamen in illo est humana, & ea vti potest, quando non fit iniuria, infamia, & scandalum pœnitenti, & nulla erit reuelatio sigilli.

Poterit tamen Sacerdos, vt melius fiat, excusatione vti, vel quia non tenetur, vel quia tunc commodè fieri non potest; & vt tollatur dubitanti ratio & suspicio reuelationis, necessarium esset agnoscere peccatum extra confessionem, aut per

confessionem peccatoris, aut quia ipse Sacerdos vidit peccatum de quo scit non esse confessum, quamuis non possit adhibere testes, & delictum suum neget. Idem etiam dicendum est, si Sacerdos sciat testimonium testium de statu peccatoris, quamuis nolint ipsi testes se prodere ad conuincendum peccatorem.

De occulto peccatore.

SECTIO XXII.

SAcerdos negans sacramentum peccatori occulto petenti publicè Eucharistiam grauiter peccat: quod confirmatur exemplo Christi, qui non denegauit Eucharistiam Iudæ, dispensando eam publicè, cuius peccatum occultum erat; & licet talis peccator non habeat absolute ius petendi Eucharistiam: tamen quilibet fidelis habet ius, vt si publice petat, non repellatur, nisi debito modo, hoc est, ex manifestatione publica, & scientia peccati, non quidem priuata & particulari mi-

niſtri, ſed per publicam & notoriam: vnde oportet, inquit D. Thomas, vt peccator amittat ius petendi ſacramentum in facie Eccleſiæ, vt in eadem facie Eccleſiæ & publice denegari ei poſſit. Vnde iudex debet iudicare ſecundum allegata & probata, etiam contra priuatam & particularem ſcientiam.

Actio dandi Euchariſtiam indigno non eſt mala, niſi quando qui miniſtrat eſt cauſa indignæ ſumptionis: vel quando commode & debito modo poteſt illam vitare, & non facit; & quando ei conſtat eum qui petit eſſe indignum, non quidem ſcientia priuata, & quaſi ſpeculatiua: ſed practica, qua conſideret quid agere oporteat poſitis circunſtantijs.

Sacerdos etiam non cooperatur ad malum dando hoſtiam indigno, ſed permittit quod vitari non poteſt moraliter: neque operatur contra dictamen rectæ rationis, quia hoc fit concurrente malitia hominis occulta, cum publica petitione ſacramenti.

Non eſt autem ſimile de eo qui proijcit in ignem hoſtiam ſacram: quia talis actio ex ſe eſt determinata ad malum, & habet

deformitatem ex proprio objecto.

Non licet Sacerdotem dare hostiam non consecratam ad euitandum scandalum, ex conuentione etiam Sacerdotis & peccatoris, quia talis fictio est perniciosa: affirmat enim Sacerdos, vel verbis, vel gestu, vel facto, esse Deum & Christum, quod reuera non est. Vitari etiam non potest idololatria exterior ex parte sumentis, loquendo moraliter, cùm talis actio sit cultus, & actus religionis, & etiam respectu aliorum communicātium qui adorant quod alteri datur.

Præterea, si peccator occultus petat Eucharistiam à Sacerdote antequam sit publice expositus ad dispensandum sacramentum, tenetur Sacerdos ei denegare: quia facilem habet excusationem, cùm non teneatur. Si verò Sacerdos sit publice expositus, & accedat inter communicantes peccator occultus, tunc non debet ei denegare, quia est actio publica, & occasio scandali & infamiæ.

Quis ſit peccator occultus.

SECTIO XXIII.

PEccator occultus, is eſt qui cognoſcitur à ſolo Sacerdote, vel ab vno, & cuius delictũ eſt notũ tribus vel quatuor.

D. Thomas vocat delictum abſolute publicum, quod nulla tergiuerſatione celari poteſt.

Euidentia iuris tollit à peccatore ius petendi hoc ſacramentum publice, & in foro Eccleſiæ.

Peccator dici poteſt publicus reſpectiue, vel abſolute; reſpectiue, hoc eſt comparatione facta ad modum quo petit Sacramentum, vt quando petit ſacramentum in præſentia eorum qui norunt ſuum peccatum: & hæc notitia ſufficit, vt ſine infamia & ſcandalo, & alio incommodo, poſſit negari ſacramentum.

Abſolute autem publicum delictum illud eſt quod multis eſt cognitum notitia, iuris vel facti.

Aliquid vero dicitur notorium euidẽtia iuris quando iuridice aliquis conuictus eſt de crimine per propriam confeſſionem, vel per ſententiam & declarationem iudicis. Quæ quidem confeſſio & declaratio iudicis ſufficit, vt denegetur ſacramentum. Nam per crimen iuridicè publicum peccator amitit omne ius iuſtitiæ, & charitas tunc non obligat ad tuendam famam eius.

Ad euidentiam vero facti non poteſt tradi regula vniuerſalis ex ſolo numero perſonarum, ſed hoc relinquendum eſt prudentiæ Sacerdotis: penſando qualitatem loci, delicti & perſonarum quæ illud norunt, vt videatur ſufficienter publicum necnè.

De diſpoſitione corporali ad Sacramentum.

Sectio XXIV.

Dvplex aſſignatur diſpoſitio corporalis, vna poſitiua, & altera priuatiua.

Prima conſiſtit in veſtitu externo,& decente compoſitione corporis. 2. in abſtinentia cibi, & potus, & carentia maculæ corporalis. Præcipitur à Cõcilio Branch. iij. c. Sacerdotibus communicantibus extra ſacrificium, vt habeant ſtolam ſuper vtrumque humerum quando communicant: vbi addit Suares iſtud præceptum non obligare ſub mortali peccato.

Quandoquidem autem huic ſacramento debetur interna & externa veneratio & adoratio; ideo ad externam venerationem pertinet deuotio exterior, cõpoſitio corporis in habitu & geſtu, ex iure naturali. Nam vt ait D. Cyprianus exponendo orationem Dominicam. Placendum eſſe oculis diuinis etiam in habitu corporis: & quia talis cultus externus non eſt definitus, ideo ſeruãda eſt Eccleſię conſuetudo, nec introducendæ ſunt indiſcretæ ceremoniæ.

De munditia corporis & pollutione.

SECTIO XXV.

MAcula corporalis per se non impedit vsum sacramenti: quia hic externus defectus corporis non per se refert ad honestatem morum, nec pertinet ad bonitatem, vel malitiam moralem, quod etiam si talis macula est præterita non poterit impedire communionem.

Sicut nec peccatum & macula eius remissa; & si fuerit diuturna & perpetua nõ debet homo semper priuari effectu sacramenti propter eam. Solum cauendus esset horror aliorum, vel scãdalum: vnde præcipitur ab Innocent. iij. Ne clericus, leprosus administret altari, propter scandalum & horrorem populi: quod si talis macula per breue tempus sit auferenda, tunc poterit esse macula venialis non procurrendo, vt auferatur ante communionem.

Polutio nocturna non impedit ex se cõ-

munionem: si tamen reliquat hominem ineptum ad res spirituales, patiendo magnam distractionem animi, & varias cogitationes consultius erit abstinere vsque quo obliuiscatur pręteritæ passionis, vt sæpe accidit in vulgaris hominibus.

Si vero nullum relinquat effectum, & homo possit eadem deuotione & attentione accedere ad sacramentum ac si nullam pollutionem passus fuisset, poterit communicare: quod si ex dæmonis vexatione accidat, magis erit contemnenda: quod constabit, si pollutio soleat accidere eo die quo habet homo propositum & consuetudinem communicandi, quia intendit dæmon eum perturbare.

Et si credat homo causam pollutionis esse naturalem, minus adhuc impediet: magis autem impediet, si fuerit ex negligentia & distractione.

Copula coniugalis nullum peccatum veniale continet si fiat eo die vel ea nocte antecedens communionem: præsertim quando alter coniugum operatur hunc actum non petendo, sed reddendo debitum; quia talis copula processit potius ex obligatione iustitiæ (quæ reddit alteri

quod suum est) quàm ex voluntate, & sine peccato non potuit excusari; & etiam quando talis copula fuit peracta ex pura intentione prolis, quæ pro ratione status & circunstantiarum potest esse nedum honesta, sed etiam expediens.

Si autem copula coniugalis sit omnino voluntaria, & ex nimia voluptate & concupiscentia carnis, consulendum est vt eo die quis abstineat à communione: nam erit peccatum veniale ita communicare: quia signum est animi parum dispositi ad res diuinas tractandas. Et iuxta hæc limitata est doctrina diui Hieronymi in Apologia ad Pammach. pro lib. contra Iouinianum, & D. Augustinus serm. 216. & 244. de tempore.

Quando autem Concilium Elibertinum dicit d. 2. *Omnis homo ante sacram communionem à propria vxore abstinere debet tribus, aut quatuor, aut octo diebus*: non est pręceptum, sed consilium.

De ieiuno communicante.

SECTIO XXVI.

NVllum est præceptum diuinum de ieiunio ante vsum Eucharistiæ: nec positiuum, quia non constat scriptum, nec traditum. Non est etiam naturale, quia hæc obligatio non potest satis colligi ex sola excellentia & dignitate sacramenti. Hoc posito principio, hæretici tria colligunt falsa dogmata. 1. non potuit Ecclesia præcipere ieiunium ante cõmunionem. 2. contemnenda est consuetudo Ecclesiæ sic facientis. 3. melius & cõmodius est aliquid temperatè sumere ante communionem, quia magis est consentaneum facto Christi, id quod fiebat tempore Apostolorum, vt colligitur ex vndecimo Corinthiorum. Si quis esurit, domi manducet, scilicet priusquam veniat ad Ecclesiam communicandum, & quia sumpto cibo moderato, homo est habilior ad opera mentis.

quod suum est) quàm ex voluntate, & sine peccato non potuit excusari; & etiam quando talis copula fuit peracta ex pura intentione prolis, quæ pro ratione status & circunstantiarum potest esse nedum honesta, sed etiam expediens.

Si autem copula coniugalis sit omnino voluntaria, & ex nimia voluptate & concupiscentia carnis, consulendum est vt eo die quis abstineat à communione: nam erit peccatum veniale ita communicare: quia signum est animi parum dispositi ad res diuinas tractandas. Et iuxta hæc limitata est doctrina diui Hieronymi in Apologia ad Pammach. pro lib. contra Iouinianum, & D. Augustinus serm. 216. & 244. de tempore.

Quando autem Concilium Elibertinum dicit d. 2. *Omnis homo ante sacram communionem à propria vxore abstinere debet tribus, aut quatuor, aut octo diebus:* non est præceptum, sed consilium.

De ieiuno communicante.

Sectio XXVI.

NVllum est præceptum diuinum de ieiunio ante vsum Eucharistiæ: nec positiuum, quia non constat scriptum, nec traditum. Non est etiam naturale, quia hæc obligatio non potest satis colligi ex sola excellentia & dignitate sacramenti. Hoc posito principio, hæretici tria colligunt falsa dogmata. 1. non potuit Ecclesia præcipere ieiunium ante cõmunionem. 2. contemnenda est consuetudo Ecclesiæ sic facientis. 3. melius & cõmodius est aliquid temperatè sumere ante communionem, quia magis est consentaneum facto Christi, id quod fiebat tempore Apostolorum, vt colligitur ex vndecimo Corinthiorum. Si quis esurit, domi manducet, scilicet priusquam veniat ad Ecclesiam communicandum, & quia sumpto cibo moderato, homo est habilior ad opera mentis.

Respondetur, à temporibus Apostolorum seruatam esse consuetudinem in Ecclesia, vt nullus sumeret cibum & potum ante Eucharistiam. Vnde Isiodorus lib. 1. de officijs Ecclesiasticis, cap. 18. dicit: *Placuit Spiritui sancto per Apostolos, vt in honorem tanti sacramenti, in os Christiani priùs Dominicum Corpus intraret, quàm cæteri cibi.* Et ideo per vniuersum orbem mos iste seruatur.

Præterea iure merito præcipit Ecclesia vt sacramentum sumeretur à ieiunis: nam Ecclesia regitur à Spiritu sancto. Vnde D. Augustinus dicit non nisi Spiritu sancto inspirante esse introductam consuetudinem & legem.

Deinde, hoc etiam congruebat propter reuerentiam sacramenti, & vt fideles assuescant discernere inter cibum istum diuinum, & communem, propter significationem; vt discant fideles Christum esse eorum primum cibum & primarium, & ad euitanda pericula vomitus, & alterius irreuerentiæ, & vt mens sit liberior & expeditior ad res spirituales & diuinas.

Adde quod falsum est dicere verba D. Pauli esse intelligenda de consuetudine

ſumendi cibum ante Euchariſtiam. Nam ibi agit D. Paulus de ordine ſeruando, & decentia in conuiuijs communibus, quæ ſolebant fieri peractis officijs Eccleſiaſticis, vt dicendo, *Qui eſurit, domi manducet*, hoc eſt, qui non poteſt expectare alios, domum redeat, & ibi manducet.

Deinde, quamuis moderatus cibus & potus iuuare poſſit ad animi attentionem in aliquibus, non tamen in omnibus. Leges autem morales feruntur de his quæ magis expediunt regulariter omnibus.

De ieiunio ſeruando ante communionem.

SECTIO XXVII.

IEiunium naturæ (quod eſt carentia, ſeu abſtinẽtia ab omni cibo & potu) eſt ſeruandum ante communionem ex præcepto Eccleſiaſtico, vt habet Scotus diſt. 8. q. 3. Vnde nihil ſumendum eſt per modum cibi & potus ſub quacunque intentione medicinæ: & minima quantitas im-

pedit communionem ex præcepto Ecclesiastico.

Vnde Sacerdos non debet in 2. Missa Natalis Domini sumere ablutionem calicis, ne soluat ieiunium naturæ, non quidem propter nutritionem (quia species consecratæ non computantur inter ea quæ soluunt ieiunium naturæ, propter excellentiam sacramenti, licet possint nutrire) sed id fieri non debet propter reuerentiam sacramenti.

Minima etiam quantitas sumpta per modum cibi, & potus non debet sumi sub peccato mortali. Notanter dicitur per modum cibi & potus, ad differentiam saliuæ, aut alicuius rei attractæ per respirationem: quamuis possit nutrire & alterare. Nam hoc non violat ieiunium naturæ: quia non bibitur, nec comeditur sicut medicina &c. quia bibitur & traijcitur in stomacum.

Non frangitur insuper ieiunium deglutiendo sanguinem, aut alium humorem descendentem in os ex capite, vel ex ore, quia non casu sumitur per modum cibi: vnde non soluit ieiunium, quod non prouenit ab intrinseco, sed ab extrinseco: nec

impedit communionem: qui etiam deglutiat guttam aquæ aut vini admistam saliuæ, non remouetur à communione, quia non traijcitur in stomacum per modum cibi, sed per modum saliuæ cum qua debet esse permixta, & traijci per modum vnius.

Idem dicitur de iure & condimento gustato, vt percipiatur solum sapor: dummodo statim expuatur, licet contingat aliquid manere permixtum saliuæ, non soluitur ieiunium, quia non est comestio.

Idem etiam dicitur de reliquiis casu manentibus in ore ex precedenti nocte, quia non censentur venire ab extrinseco: sed ab intrinseco, nec pertinent ad comestionem quæ præcessit: non sic autem de saccaro paulatim manducato, quia est manducatio successiua. Reliquiæ verò dicuntur, quæ casu & præter intentionem manent in ore, & traijciuntur: vnde vt securius id agatur, oportet illas reijcere si memoretur.

Hoc autem ieiunium debet seruari ex præcepto à principio diei naturalis vsque ad tempus communionis. Naturalis autem dies incipit à media nocte, quia tunc

incipit Sol ad nos redire.

Solùm autem hîc præcipitur vt eo die nihil cibi vel potus ante communionem sumptum sit. Vnde quod homo sit hoc vel illo modo dispositus, pertinet ad finem præcepti, non ad rem præceptam.

Deinde, non est etiam necessarium vt interponatur aliquis somnus, quia nullum est de hoc præceptum. Vnde sancti viri traducunt noctes integras insomnes in vigilijs & orationibus, & statim faciunt sacrum Finita autem communione cessat obligatio ieiunij: nam reliquum tempus relinquitur arbitrio hominis, quia etiam in Missa statim post communionem sumimus ablutionem.

Decet tamen propter deuotionem & sacramenti reuerentiam, aliquo tempore abstinere à communi cibo & potu. In solo articulo mortis naturalis & violentæ licet communicare non ieiuno, quando nec anticipari potest communio, nec differri mors, vel supplicium.

Suares tenet licere sæpius communicare in eadem ægritudine, si status ægritudinis varietur: quia scilicet homo fuit prius in periculo mortis, & illud euasit, & aliquantulum

quantulum conualuit: poſtea verò iterum incidit in ſimile periculum, & tunc non eſt dubium quin poſſit iterum atque iterum totieſque communicare, quoties talis varietas acciderit, quia cenſetur quaſi noua ægritudo, & nouus articulus neceſſitatis.

Quod ſi poſt ſumptum viaticum ægrotus viuat breui tempore, non eſt illi dandum ſępius hoc ſacramentum poſt cibum & potum, quia nulla eſt moralis neceſſitas.

Non licet etiam Sacerdoti non ieiuno ſumere Euchariſtiam, & illam conficere propter neceſſitatem alterius, quia ſicut hoc ſacramentum eſt maioris dignitatis, ita eſt minoris neceſſitatis. Vnde in tali euentu eſt habenda maior ratio reuerentiæ debitæ ſacramento, quàm neceſſitatis proximi quia non eſt neceſſitas medij.

Neceſſitas autem præcepti non vrget tunc ex parte ſumentis, quando ſcilicet nullus eſt qui poſſit dare; neque eſt neceſſitas ex parte dantis, quando non poteſt commode cum debita reuerentia exteriori, & ſeruato ritu conuenienti, hoc eſt, cum veſtibus ſacris, cum pane azymo, &

cùm integritate sacrificij, præscripto ab Ecclesia; & propterea Ecclesia prouidit vt semper seruetur Eucharistia pro infirmis, ne propter hos euentus infirmus priuetur hoc auxilio.

Non sic est de non præmittenda confessione ante communionem, quia confessio non iubetur propter se, sed tanquam medium ad iustificationem, quæ sine confessione potest talis dispositio ad sacramentum necessaria (scilicet iustificatio) haberi, scilicet per contritionem. Sic ieiunium est dispositio exterior ex se intenta per præceptum, ob reuerentiam debitam sacramento.

De Sacerdote communicante non ieiuno.

Sectio XXVIII.

TRes sunt casus, in quibus licet Sacerdoti communicare non ieiuno. Primus, quando est necessarium perficere vel consummare sacrificium, vt cùm

Sacerdos infundit aquam calici loco vini inconsultò, donec sumpserit hostiam consecratam: tunc debet iterum conficere, & sumere vtramque speciem, vel saltem sanguinem, vt perficiat sacrificium; quia hoc magis necessarium est, quàm communicare ieiunum.

Idem dicitur de Sacerdote, qui inchoato sacrificio & post consecrationem recordatur se aliquid comedisse, aut bibisse, tenetur non desistere, & etiam ante consecratam hostiam, si hoc fieri non possit sine infamia vel scandalo.

Idem etiam dicitur de eo qui sacrificium inchoauit, & ægritudine correptus, non potest illud perficere, & ab alio perfici debet, iuxta Concilium Toletanum 7. in c. *Nihil.* 7 q. 1. & tunc si non sit Sacerdos ieiunus, poterit alius, & debet non ieiunus perficere. Nam non refert ad rationem sacrificij quòd sint eædem vel diuersæ personæ, quia vnus minister Christi componitur ex vtraque persona.

Secundus casus est, quando Sacerdos tenetur sumere reliquias huius sacramenti post ablutionem calicis: illa enim sumptio tam est communio sicut prior, quia

ibi est totus Christus, & hoc fit quando ſumptio reliquiarum eſt tantùm circunſtantia, & quaſi complementum actionis ſacrificandi: tota enim illa actio Sacerdotis eſt per modum vnius moralis actionis integræ, vt quando in die Paraſceues miſcetur vino particula hoſtiæ conſecratæ: prius enim ſumitur aliqua pars vini, quàm talis particula conſecrata.

Idem contingit quando quis ſumit hoſtiam in vino propter ſiccitatem ægroti ſumentis, & quando ſumpto ſanguine adhæret calici particula hoſtiæ, quam digito nullus debet trahere; ſed cum vino vel aqua, quouſque eueniat, & conſumetur.

Idem etiam licet communicanti, ſi ita adhæreat ori particula hoſtiæ, vel integra, vt non poſſit ſine vino vel aqua in ſtomacum traijcere.

Idem eſt de Sacerdote ſumente reliquias poſt ablutionem, dummodo reliquiæ non ſumantur per ſe; & per modum communionis integræ: non eſt etiam attendenda qualitas reliquiarum quę ſuperſunt ex ſacrificio præſenti; quòd ſi ſint reliquiæ ex præcedenti ſacrificio, conſu-

mendæ ſunt ante ablutionem.

Sacerdos qui fuit multo tempore in altari diſpenſando hoc ſacramentum, poteſt purificare vaſa ſacra, & reliquias ſumere tunc conſecratas: quia tota illa eſt vna actio moralis. Poſtquam autem Sacerdos receſſit ab altari, exiſtimat Suares non poſſe ſumere reliquias, niſi ex accidenti, hoc eſt, ſi videlicet non poſſent conſeruari ſine maiori irreuerentia.

Iſtæ autem reliquiæ non ſunt dandæ laïcis poſt ablutionem, quia hoc non pertinet ad eorum miniſterium; & ita eorum actio eſt conſummata in prima ſumptione: nec etiam eis dandæ ſunt poſt communionem finitam, quamuis ablutionem non ſumpſerint, niſi ſimul dentur cum priori formula, moraliter loquendo: quia non poſſunt iterum communicare poſt primam communionem; ſumptio autem reliquiarum eſt vera communio, ſi per ſe, & ſeparatim fiat.

Si occurrat etiam neceſſitas extrinſeca conſumendi ſacramentum, ad vitandam grauem irreuerentiam, vt vel quia igne comburendum eſt ſacramentum, vel quia

casurum est in manus hæreticorum, à quibus iniuriose tractaretur.

De sumptione spirituali.

SECTIO XXIX.

SVmptio spiritualis sacramenti Eucharistiæ fit per votum, vel desiderium ortum ex viua fide. Sola autem charitas est quæ viuificat fidem; vnde si quis desideret Eucharistiam sumere existens in peccato mortali, grauiter peccaret, & non manducaret spiritualiter: non peccaret tamen, si desideraret suscipere in meliori statu; & isto modo talis sumptio esset spiritualis mortua, & secũdum quid, & sine fructu.

Desiderium autem seu votum est duplex: implicitum, vel explicitum, sicut in Baptismo, & in alijs sacramentis. Ipsa verò sumptio spiritualis tantùm habet locum in lege Euangelica, cùm sacramentum sit tantùm institutum in illa: ergo ad eam pertinet omnis eiusdem vsus.

Et ita manducatio spiritualis Patrum, quam latè explicat D. Augustinus tract. 20. in Ioannem, ex illo 1. ad Corinthios, *Omnes eandem spiritualem manducauerunt*: est tantùm materialis, & figurata: quia enim desiderabant Christum figuratum in sacramentis antiquæ legis: ideo dicitur eos spiritualiter eum manducasse. Vnde etiam omnis vnio cum Christo, vel desiderium Christi solet dici spiritualis sumptio huius sacramenti: largè tamen, & materialiter: ergo vt tollatur æquiuocatio, notandum est duplicem esse manducationem spiritualem Christi.

Vna est Christi absolutè, & simpliciter, & quæ terminatur ad Christum secundum se: & ipsa fit per fidem, & charitatem, quæ omni tempore fuit necessaria.

Altera est Christi in sacramento, seu est manducatio Eucharistiæ, quæ terminatur tantùm ad sacramentum, & est ad vsum eiusdem.

Notandum est insuper, sumptionem spiritualem Eucharistiæ non habere fructum præter meritum operantis. Vnde quando dicit Concilium Tridentinum

eos sentire fructum & vtilitatem sacramenti, qui voto panem cælestem edunt fide viua, quæ per dilectionem operatur: intelligitur ex merito operantis, qui dicitur fructus huius sacramenti. Vel objectiuè, quia ex illius desiderio & amore percipitur: vel ex generali quadam ratione, quatenus omnis vnio per gratiam dicitur effectus huius sacramenti, cùm sit effectus Christi, qui continetur in hoc sacramento.

De sumptione sacramentali.

SECTIO XXX.

TRiplex assignatur à Theologis sumptio sacramentalis. Prima est purè materialis, quæ fit sine cognitione sacramenti, vt à bruto, vel ab homine existimante hostiam non consecratam: & impropriissimè dicitur vsus sacramenti, vt sacramentum est.

Secunda est, quæ fit quidem cum intentione, & cognitione sacramenti: sed ta-

men ab homine incapace illius effectus, vt est non baptizatus, qui non est subjectum proportionatum sacramento : & ideò censetur etiam materialis sumptio.

Tertia est realis manducatio Eucharistiæ, cum aliqua intentione sumendi eum in subjecto capaci, & proportionato: & si sit sine fructu, est sacramentalis tantùm: si verò cum fructu, est sacramentalis & spiritualis simul.

Si reperiatur apud D. Augustinum, vel alios Patres, peccatores non sumere rem sacramenti: intelligendi sunt de re, quæ est ipsa gratia, non verò de corpore Christi: quia homo existens in peccato mortali, verè sacramentum suscipit, id est, corpus Christi, sub speciebus, licet indignè, & ad sui condemnationem.

Angeli non possunt propriè spiritualiter sumere sacramentum: quia cùm non sint capaces sacramenti, non possunt habere votum & desiderium eius.

Bruta comedendo species sacramentales, comedunt etiam materialiter corpus Christi, non tamen sacramentaliter: quia non ex cognitione, & intentione in subjecto capaci.

D. Pauli 1. ad Corinth. *Hoc facite in meam commemorationem* : Nam pronomen hoc significat totam illam actionem, & partes eius quæ peractæ fuerunt in sacra illa cœna tam ex parte Christi, quam ex parte Apostolorum, & sensus est. *Hoc facite*, idest volo vt in Ecclesia mea (quæ constat ex Sacerdotibus & laïcis) quo modo egimus, & fecimus me consecrante, accipiente dante & vobis etiam recipientibus, in quibus verbis.

Aliquid pertinet ad Sacerdotes, aliquid commune laïcis.

Hoc præceptum obligat omnes adultos baptisatos infideles, & non baptisatos, quia verba Christi sunt generalia. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis*. Loquebatur omnibus audientibus, & per eos omnes qui futuri erant obligantur quidem, sed vt sumptio fiat cum fructu supponit tamen baptismum sicut post peccatum mortale pœnitentiam.

Vnde Cathecumenus voluntariè omittens baptismum, & Eucharistiam: committit duo peccata, quia violat duo diuersa præcepta diuina.

Ad istud autem præceptum non tenen-

tur infantes, nec amentes, nec Eccleſia tenetur eis dare: vt optime definit Concilium Tridentinum, ſeſsione 21. cap.4.

Vnde Chriſtus diuerſimodè locutus eſt de Baptiſmo, & de Euchariſtia: nam de baptiſmo locutus eſt paſſiuè. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu:* & de Euchariſtia actiuè dirigendo ſermonem, ad eos qui audiebant, & percipere poterant vim præcepti: ad baptiſandos vero non dirigebat ſermonem tanquam intellecturos vim obligationis, & magnitudinem communionis.

Deinde non eſt illicitum dare Euchariſtiam Amentibus, qui aliquando vſi ſunt vſu rationis: quia nullo iure poſitiuo prohibetur, quod oſtendi poſſit: imo in mortis articulo talibus Amentibus dari debet: & ſi extra caſum neceſſitas non detur talibus hominibus, hoc fit ob reuerentiam Sacramenti: quod vero eis detur in articulo mortis hoc exigit eorum vtilitas, quæ ſeruanda eſt cum reuerentia in diſpenſatione ſacramenti: ſufficit autem implicita petitio quæ in ipſa contritione, & ſignis eius includitur

ſunt enim capaces ſacramenti: multo magis quam infantes, neque actualis deuotio eſt neceſſaria.

Euchariſtia inſuper non eſt deneganda obſeſſis à Demone qui habent vſum rationis.

Vnde quando Concilium Elibertinum prohibet eos non eſſe recipiendos ad altare cum oblatione, loquitur de his qui publicè vexantur à Dæmonibus propter publica ſcelera, iuxta illud D. Pauli, iudicaui tradere huiuſmodi Sathanæ, in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini.

Pia eſt & probabilis ſententia eorum, qui tenent hominem obligari ad communionem in articulo mortis, ſiue prius communicauerit, ſiue non, & toties ad minus obligari, quoties ad talem articulum vnenerit: vnde voluntaria eius omiſſio, etiam ex negligentia, eſt peccatum mortale: quia eſt materia grauis pertinens ad ſalutem animæ.

Satisfit autem obligationi, quando tempus eſt breue, & iam imminet periculum, quod exiſtit in re, licet homo illud ignoret: & quando homo in ſuis actibus ha-

bet intentionem virtualem implicitam implendi omnem obligationem, quæ ſic explicatur.

Si homo cognouiſſet ſuum periculum, voluiſſet communicare per modum viatici, modò tempus breue ſit: ſed vt tollatur omnis ſcrupulus, poterit item communicare.

Præceptum diuinum communicandi non tantùm obligat in articulo mortis, ſed etiam ante illum: nec ſemel tantùm, ſed multoties in vita: quia quamuis præceptum affirmatiuum non determinet tempus, tamen non habet ex ſua ratione vt ſemel in vita obliget: quis enim dicat præceptum diligendi Deum, & ſacrificandi ſemel tantùm in vita, obligare ad exercendum actum fidei?

Hoc magis dicitur de Euchariſtia, quia cùm detur per modum cibi, non ſufficit ſemel manducare: quia non minus debilitant calor concupiſcentiæ, & fomes peccati, quàm debilitat calor naturalis vires corporis: ergo tempus cibandi animam, nutriendi charitatem, vincendi concupiſcentiam, protrahi debet ad totum vitæ tempus.

Præterea, dilatio communionis vnius anni non est contraria præcepto diuino communicandi, & hoc sufficit ad non peccandum: vnde hoc præceptum diuinum obligat saltem tertio, vel quarto anno. Nam maior dilatio valde esset irrationabilis: sicut præceptum Ecclesiasticum communionis animæ omnes obligat vniformiter.

Inseruiens Missæ, vel assistens, non tenetur in illa cõmunicare, vt definit Concilium Tridentinum sess. 22. c. 6. & can. 8. quod satis approbat vsus Ecclesiæ. Fauent etiam ista verba Diui Pauli, *Probet quis seipsum homo*, quia ibi loquitur de his qui volunt communicare: non verò de his qui conueniunt ad Ecclesiam causa audiendi Missam.

Id etiam colligi potest ex dicto & facto Christi: non enim dixit, hæc omnia simul facite; aliàs nunquam esset sacrificandum, nisi coram duodecim, & omnibus communicantibus. Item oporteret hora nocturna id facere. Adde quod non liceret communicare extra sacrificium ex hostijs præ consecratis: quod est contra vsum

vsum Ecclesiæ: & si assistentes offerunt per Sacerdotem, satis est etiam vt pro eis Sacerdos consumat sacrificium, & ipsi participãt spiritualiter, vt indicauit Concilium Tridentinum. Communicare eodem die sæpius, nunquam fuit in Ecclesia vsitatum: licuit autem eodem die plures Missas audire.

De frequenti vsu sacramenti Eucharistiæ.

SECTIO XXXII.

NVlla frequentia Eucharistiæ iure diuino prohibita est: nec eodem die potest colligi sæpius communicare non posse: sed tantùm ex iure humano, ob reuerentiam tanti sacramenti, ne vilescat ob nimiam frequentiam.

Vnde sicut Papa dispensat interdum vt aliquis sæpius eodem die sacrificet: ita posset dispensare in communione iterata eodem die: nec etiam singulis horis prohibetur, sed relinquitur prudentiæ, quam

dictat ius naturæ, cauendū esse quod parere potest contemptum, & irrisionem sacramenti.

Frequentius tamen est communicandum, quàm rarius. Primò, quia communicare dignè, per se bonum est: abstinere vero se, est bonum per accidens, ex defectu dispositionis, vel vt homo excitetur ad reuerentiam.

Secundò, quia frequenter accedere est ex propensione charitatis: differre autem est, aut ex negligentia, aut timore.

Tertiò, qui frequenter communicat, excedit alium in fructu sacramenti, ex opere operato.

Quartò, non minus, imo magis confert vsus sacramenti frequens ad conseruandam deuotionem, & reuerentiam, quàm dilatio.

Non est tamen consulendum alicui, vt frequentius communicet, quàm octauo die: quia sufficienter subuenitur fructui animarum, & hoc iuuat ad reuerentiam debitam sacramento. Deinde sæpe euenit, vt bona communio facta oportuno tempore, fiat cum maiori fructu, quàm plures sine debita præparatione, & gra-

tiarum actione: ista tamen regula est, vt facilius timorati deponant scrupulos; quia religiosi & continentes homines sæpius possuut communicare coniugatis.

De præcepto Ecclesiastico communicandi.

Sectio XXXIII.

Præceptum Ecclesiasticum obligat fideles baptizatos semel in anno cõmunicare: nam potestas Ecclesiastica est solùm super baptizatos: *De his enim qui foris sunt, nihil ad nos*, inquit D. Paulus 1. Corinth. 5.

Illique non omnes, sed solos baptizatos: quia soli adulti sunt capaces proprij præcepti & obligationis. Non potest autem dari regula certa de tempore quo incipiat obligare hoc præceptum: potest tamen dici ad summum incipere à decimo, vsque ad decimum quartum ætatis annum: quia moraliter loquendo non incipit ante decimum, neque vltra deci-

mum quartum differtur hæc obligatio, ſicut nec rationis vſus: eſt tamen magna varietas in ætatis huius latitudine.

Alij enim citius, alij tardius ratione vti poſſunt; & ideo hæc obligatio non incipit ſimul omnibus: vnde conſulendum eſt prudentes Confeſſores, & parentes qui debent capacitatem & iudicium examinare.

Præceptum diuinum & Eccleſiaſticum ſunt eiuſdem rationis extra periculum neceſſitatis: quia præceptum Eccleſiaſticum determinat tempus, quo quis debeat ſatisfacere præcepto diuino communicandi. Communio enim in articulo mortis ſatis præcipitur ex iure diuino, vt non indigeat determinatione Eccleſiæ.

Aliquis tamen per conſilium, & non præceptum, tenetur ſæpius communicare, iuxta illud Concilij Tridentini ſeſſione vigeſima quinta, capite decimo, de regularibus: *Attendant* (inquit Concilium) *diligenter Epiſcopi, & cæteri Superiores Monaſteriorum ſanctimonialium, vt in conſtitutionibus earum admoneantur ſanctimoniales, vt ſaltem ſingulis menſibus communicent.*

Tempus autem communicandi in Paſ-

chate, complectitur quindecim dies, à Dominica Palmarum vſque ad Dominicam in Albis incluſiuè: & quamuis ſæpius extra hos communicet, non implet præceptum, niſi communicet intra illos dies, quia verba legis limitant actum ad illud tempus.

Fidelis autem tenetur recipere communionem de manu proprij Paſtoris, aut alterius qui vicem gerat, ſiue de eius facultate, ſine qua alter non poteſt ſoluere & ligare.

Si quis omiſit communionem, cùm teneretur in Paſchali tempore: obligatur quamprimum implere præceptum: nam intentio ſubſtantialis inſtituentis eſt de ſubſtantia actus: de circunſtantia autem temporis ſecundariò. Subſtantia autem præcepti Eccleſiaſtici eſt, vt communio non differatur vltra annum: dies autem Paſchatis deſignatur propter circunſtantias, quia eo tempore fideles magis ſunt diſpoſiti, & deuoti; & quia etiam eo tempore hoc myſterium fuit inſtitutum, noſtraque redemptio conſummata: ideo ſi non poſſit ſeruari circunſtantia pręcepti, debet ſeruari ſubſtãtia actus eiuſdē.

Nullus obligatur anticipare communionem : quia talis communio non est impletiua præcepti, aliàs dicitur de his diebus, quia si in primo aut secundo eorum præuideat non posse communicare, in omnibus alijs sequentibus tenebitur præuenire, & implere præceptum.

De pœna transgreßionis præcepti.

Sectio XXXIV.

QVi voluntariè suscipit sacramẽtum Eucharistiæ, implet præceptum communicandi, etiam si indignè sumat, & peccet mortaliter per sacrilegium indignæ sumptionis : nam alia pręcepta, tum sacramentorum, tum in alijs materijs, impleri possunt per actum peccaminosum, vt si quis audiat Missam praua intentione.

Ratio autem sumitur ex principio generali quod tradit D. Thomas 12. q. 101. art. 9. quia lex pręcipiens actum, pręcipit substantiam eius, non vero modum, nisi

talis modus sit essentialis actui secundum se, vel prout cadit sub legem.

Sicut attentio est de essentia orationis, & integritas formalis de essentia confessionis, & dilectio super omnia est modus intrinsecus charitatis Dei.

Suscipere autem Eucharistiam cum debita dispositione, non est modus essentialis sacramentali communioni: vt quia licet aliquis indignè communicet: reuera tamen cõmunicat sacramentaliter, dummodo sumat voluntarie & scienter sacramentum. Hoc additur, quia si quis comederet hostiam consecratam, putans esse panem communem, non sufficeret ad implendum pręceptum: quia voluntas sumendi est de essentia sumptionis sacramentalis. Hęc autem illa est, quę pręcipitur ab Ecclesia, non autem sumptio spiritualis: quia hęc pertinet potius ad effectum sacramenti, qui consequitur actum pręcepti, quàm ad ipsum actum sumendi qui præcipitur.

Nam talis actus, seu sumptio spiritualis, non est de intrinseca ratione ipsius sacramentalis sumptionis; & quando addit pręceptum, *suscipiens reuerenter*, ista parti-

cula explicatur de reuerentia exteriori, vel de intrinseca, quę consistit in recognitione sanctitatis huius sacramenti, & voluntate recipiendi illud vt rem sacram & diuinam.

Si petas quid intersit, quod impleat quasi materialiter pręceptum, si peccet mortaliter recipiendo sacramentum indignè: Respondetur primò, ne duo peccata cōmittat, vnum commissionis, & alterum omissionis. Secundò, ne pœnas vel censuras Ecclesiasticas incurrat, etiam si cōtra huius præcepti transgressores latæ sint.

Nulla tamen incurritur pœna vel censura ex transgressione præcepti Ecclesiastici: sed præcipitur vt transgressor arceatur ab ingressu Ecclesiæ, & careat sepultura Ecclesiastica, si moriatur; quæ non incurruntur, donec imponantur.

Imponi autem debent, non solùm aduersus eos qui vtrumque præceptum ibi positum confessionis & communionis violant: sed etiam si transgrediantur hoc solùm, quia lex loquitur contra hos omnes qui non implent vtrumque præceptum.

Sed quia nullus tranſgreditur præceptum communionis, niſi prius tranſgrediatur præceptum confeſſionis: ideo pœnæ cenſentur communiter latæ contra eos, qui tempore debito non confitentur.

De communione vnius vel alterius ſpeciei.

Sectio XXXV.

COmmunio ſub vtraq; ſpecie naturali iure licita eſt laïcis, nec poteſt eſſe notum aliquod ius diuinum, quod hoc prohibeat. Non eſt etiam per ſe malum, nec iure diuino prohibitum, vnam ſpeciem ſacramenti ſumere ſine alia: ita definitur in Concilio Conſtantienſi, ſeſſione decima tertia, & clarius in Concilio Tridentino probatur, ſeſſione decima tertia, cap. 1.

Nam quatuor ſunt in hoc ſacramento, ex quibus obligatio poſſet oriri: ſcilicet, effectus, ſignificatio, res contenta, & ſpecies continentes. At non eſt ſemper ne-

cessarium propter effectum, quia totus effectus datur per vnam speciem, sicut per duas; & licet daretur maior effectus per duas, quàm per vnam: tamen non est necessarium ad salutem: neque est in præcepto, totum effectum Eucharistiæ semper recipere.

Neque ex significatione: quia perfectè reperitur in singulis speciebus: nam panis repræsentat vnionem membrorum cum suo capite, & ipsorum inter se: quæ est significatio præcipua huius sacramenti: *Ex multis enim granis vnus panis conficitur*: Et sumptum sumenti coniungitur. Idem dicitur de vino: vnus enim liquor ex multis granis efficitur, & sumenti vnitur.

Neque ex re, quia totus Christus continetur sub singulis speciebus: nam quod Christus bis sumatur per se, non refert ad integram sumptionem eiusdem, & ad perfectam vnionem cum ipso.

Neque ex parte specierum, quia sumptio specierum est solum propter effectũ significatum, & rem contentam.

Quod si cõsideretur id quod est res, & sacramentum simul, hoc totum sumitur in singulis speciebus: si verò attendatur

ad id quod est sacramentum tantum: totum tamen sumitur in singulis partibus formaliter in ratione signi: & virtualiter in ratione causæ: licet videatur tantum pars sumi materialiter. Conuiuium etiam satis representat in re contenta, & in effectu eiusdem: nam si esset corporalis, cibus qui simul sitim cum fame extingueret non esset refectio corporalis imperfecta, & ita dicendum est de hoc sacramento.

Necessitas etiam haberi non potest ex speciali mandato Christi vel facto. 1. quia probabile est Christum dedisse corpus suum ad manducandum discipulis suis in castello Emaüs, & certum est non dedisse potum sanguinis, quia (inquit sacer textus) *Cognouerunt eum in fractione panis*, & statim euanuit ab oculis eorum.

2. Colligit Conciliũ Trident. ex his verbis, *Qui manducat me, viuet propter me.* Manducatur autem Christus in vna specie: ergo etiam tunc viuificat. Adduci possunt figuræ, de quinque panibus multiplicatis, de manna & panibus propositionis, quæ significant hoc sacramentum tantum sub ratione cibi: non colligitur

etiam ex præcepto, quia D. Lucas ponit hæc verba hoc facite, post consecrationem corporis, ergo potest etiã fieri commemoratio in sola sumptione corporis.

Nam duobus modis fit commemoratio passionis Christi, explicite, vt quando consecrantur species seorsim: quod per se pertinet ad hoc mysteriũ vt sacrificium: implicite etiam, tanquam in signo & in pignore, vel in ordine ad præcedentem consecrationem corporis: confectum ex vi verborum in quæ recolitur mors eius, vel quia sumitur totus Christus pro nobis mortuus.

Ad authoritatem Gelasij Papæ, dicit D. Thomas ipsum loqui de Sacerdotibus sacrificantibus, scilicet. Aut integra sacramenta suscipiant, aut ab integris arceantur.

Ad Leonem dicitur ipsum loqui contra Manichæos, qui asserebant vnum esse malum, & à malo factum, vel quia negabãt Christum pro nobis fuisse mortuum, & suum sanguinem fudisse: quod reprehendit Leo: non autem sumptionem vnius speciei sine superstitione factam.

Ad D. August. Loquebatur etiam con-

tra Manichæos, vel contra eos qui putabant non esse sanguinem Christi sub specie vini sumẽtes solam speciem panis contra quos dicebat non posse iure, carnem sine sanguine sumi.

Ad Prosperum dicitur:consuetudinem dandi corpus instinctum in calice non fuisse vniuersalem, sed alicuius priuatæ prouinciæ: quæ introducta est ex speciali aliqua cæremonia, & paruo tempore durauit ad vitandam irreuerentiam superstitionem & variores errores.

Non desunt etiam viri docti existimantes fuisse olim consuetudinem communicandi aliquando sub sola specie vini saltem erga infantes, quibus infundebatur sanguis Christi, priùs quam edere possẽt. Videtur hoc indicari à D.Cypriano lib.de lapsis: & erga infirmos quando non poterant panem traijcere,tunc enim permittebatur infundi sub specie vini, quod citari solet ex Concil. Tolet. 2.cap.2. incerta tamen est talis consuetudo.

Nullum est præceptum diuinum quod obliget laïcos communicare sub vtraque specie: nam ex Concil. Trident. qui dixit. *Nisi manducaueritis carnem &c.* dixit etiã

si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum. Et qui dixit. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, &c.* dixit etiam, *Panis quem ego dabo caro mea est*: & qui dixit: *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, &c.* dixit etiam, *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*. Ex quibus argumentatur Concil. tacitè. Sic Christus affirmat: panis seu carnis mãducationem sufficere ad vitam: ergo non asseruit sumptionem vtriusque speciei esse necessariam.

Vnde quando Christus dicit, *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem*. Ista particula *Nisi* includit negationem, sic, si non manducaueritis: prout etiam Græci codices habent: quæ particula, vtramque partem propositionis, negat secundum phrasim Hebraïcam, sic, si non manducaueritis, & si non biberitis eius sanguinem: ex qua propositione copulatiua sequitur propositionem affirmatiuam de extremo disiunctiuo, *qui manducauerit carnem, vel biberit, &c.* quia prior communio: conuenientia tantum cadit in eum, qui nedum vnam speciem: sed vtrãque omittit, & hæc expositio saluat vim

omnium verborum,& proprietatum:adde quod, eſt conſentanea vſui ſcribendi Euangeliſtæ Ioanni. Vnde ex his verbis non poteſt colligi præceptum diuinum obligans laïcos communicare ſub vtraque ſpecie.

Non colligitur etiam ex traditione Eccleſiaſtica, immo Eccleſia Romana denegat laïcis vſum calicis,per totam vitam iudicando ipſos, ſatisfacere præcepto Chriſti, ex vſu corporis:& talis conſuetudo ex D. Thoma incepit ante quadringentos annos, vel quinquaginta. Non conſtat etiam omnes omnino laïcos communicaſſe ſub vtraque ſpecie, & vniuerſaliter in omnibus Eccleſijs.

Deinde legimus in vita Baſilij, Ambroſij,& aliorum Sanctorum, communicaſſe in fine vitæ accepto tantum corpore Domini.

Nullum eſt etiam præceptum diuinum quod determinet vnam ſpeciem potius quam aliam recipiendam : quia totus Chriſtus eſt ſub vtraque ſpecie, & vtraq; ſignificat vnionem, tam ſacramentalem, quam ſpiritualem cum Chriſto.

De prohibitione Calicis.

SECTIO XXXVI.

VAlde prudenter & rationabiliter Ecclesia prohibuit laïcis & Sacerdotibus extra sacrificium vtriusque speciei sumptionem, ad cuius ordinationis, duo sunt motiua. 1. propter hæreses subuertendos: quomodo videre poteris in nostris concionibus, de hac materia.

2. Quia per hoc nihil commodi vel vtilitatis fidelibus adimitur: sed multum reuerentiæ, & venerationis prouidetur ipsi sacramento: nam nullum diuersum effectum confert species vini ab alia: stante æquali dispositione ex parte suscipientis: tanta gratia confertur per vnam speciem quanta per vtramque.

Deinde hoc modo vitat Ecclesia omne periculum effusionis sanguinis, quod moraliter vix posset caueri in tanta hominum frequentia, & multitudine, & præsertim eo tempore quo religionis, deuotio à Deo tepida es.

3. Vt

2. Vt possit vinum in parua quantitate decentius consecrari, & non sit necesse illud consecratum seruare, quod fieri non posset sine periculo corruptionis.

3. Vt communis plebs fidelium assuescat ponere deuotionem suam in Christo, sub speciebus contento magis, quàm in vna, vel duabus speciebus ipsum continentibus.

Licet ius concesserit petendi confirmationem, & extremam vnctionem laïcis, vt non possit Ecclesia eos his priuari: tamen non sic est de sancta communione sub vtraque specie, quia eis datur ius petendi sacramentum Eucharistiæ, non verò ipsum sub vtraque specie, & Ecclesia non priuat eos vsu, sed adhibet modum in eo seruandum.

Quandiu quis persistet in errore credendi vtramque speciem esse necessariam, Ecclesia ei negare debet sacramentum sub vtraq; specie: remoto verò errore, potest. Vnde refertur ex Clemente 6. hoc concessisse Regi Galliæ, anno 1341. quia cùm tota res sit iuris Ecclesiastici, recipit dispensationem per supremam potestatem Ecclesiæ.

Si etiam consuetudo id obtinuit in aliquibus locis, poterit conseruari: vt Romæ est consuetudo, vt diaconus sub vtraque specie communicet ministranti Pontifici in Missa solemni.

Hoc seruatur Parisijs in Conuentu Cluniacensi, vt refert Claud. repet. in capite vigesimo.

Insuper, minister non debet dare corpus Christi sub specie vini, etiam si infirmus non possit speciem panis deglutire: sed debet immittere particulam hostiæ aquæ aut vino.

Minister autem qui nollet dare eo modo sacramentum, excusaretur: quia id facit propter grauissimam, & publicam causam: excusabitur etiam infirmus, quia non habet copiam sacramenti, vel quia censetur moraliter impotens, & ita non violabitur ius diuinum.

Si verò occurrat necessitas ex parte sacramenti, vt si sacerdos moreretur post sumptionem speciei panis, & nullus esset Sacerdos vel diaconus qui posset consumere, tunc posset consumi à laïco: seruando enim verba legis in his casibus, ageretur contra finem legis, ne scilicet

ſanguis effundatur, aut fiat illi irreuerentia. Solum eſt ergo cauendum ſcandalum, & procurandum, vt maxima reuerentia adhibeatur.

Si nollet Sacerdos lambere ſanguinem effuſum in terra, poterit laïcus illum ſorbere, ſi non ſit alius Sacerdos, vt habet Suares diſp. 71. ſect. 3.

De præceptis pertinentibus ad miniſtros.

Sectio XXXVII.

PRimum ius, ſeu poteſtas ordinaria diſpenſandi hoc ſacramentũ, eſt penes Sacerdotes ex iure diuino. Sumitur ex Concilio Tridentino, ſeſſione decima tertia, capite octauo, vbi dicit, deſcendere ex traditione Apoſtolica, vt laïci accipiant communionem à Sacerdotibus.

Quod intelligendum eſt de poteſtate ordinis, & non iuriſdictionis, quæ non competit omnibus Sacerdotibus iure diuino, nec ſemper reperitur cum caractere

ſacerdotali, quamuis illum reſpiciat, vt in ſubiecto connaturali, & diſpoſito ad actus ſacros, ſeu ſacramentales. Vnde quamuis habeat iuriſdictionem ante caracterem Sacerdotis, non poteſt tamen legitimè diſpenſare corpus Domini, quia non habet poteſtatem ordinis.

Diaconus etiam id non habet ordinarie, ſed vt organum, & inſtrumentum alterius, ſcilicet Epiſcopi, vel Sacerdotis, ex eorum iuſſu.

Duobus modis intelligitur ius iſtud diuinum competere ſolis Sacerdotibus.

Primò negatiuè, ſcilicet ius diuinum dedit hoc Sacerdotibus tantùm: nam ipſis ſolis data eſt poteſtas ordinis in corpus Chriſti verum & myſticum: hi enim ſunt qui ex proprio munere conſtituuntur pro hominibus in his quæ ſunt ad Deum, inquit Apoſtolus.

Secundò priuatiuè, quia prohibetur alijs inferioribus à Sacerdotibus, ſine commiſſione ipſorum, diſpenſare ſacramentum.

Tametſi ſolis Sacerdotibus iure diuino data ſit poteſtas diſtribuendi Euchariſtiam, non tamen neceſſarium eſt vt per

ſeipſos eam exequantur: nec prohibetur eo vti miniſterio aliorum, in hoc ſaltem, quoad diaconos. Nam quod hoc ſacramentum diſpenſetur à Sacerdote, vel à diacono, non ſpectat ad ſubſtantiam ſacramenti.

Diſpenſatio ſacramenti non eſt actio ſupernaturalis formaliter, ſed tantùm materialiter ex parte continentis ſub ſpeciebus: ideo non exigit ſupernaturalem poteſtatem, niſi dicatur moraliter eſſe actionem ſupernaturalem, cùm ſit in ordine ad finem ſupernaturalem, & bonum animarum.

Sancitum eſt, lege Eccleſiaſtica, vt ſoli Presbyteri ſeipſis regulariter Euchariſtiam diſtribuant: in neceſſitate verò ſoli diacono, ex commiſſione Presbyterorum. Vnde ſi præter diaconum ſint alij Presbyteri, qui poſſint, & velint illud munus ſuſcipere, Epiſcopus non poteſt committere diacono, nec diaconus illud acceptare, quia iam ceſſat omnis neceſſitas.

Poteſt diaconus, vrgente neceſſitate, miniſtrare viaticum infirmo, in articulo mortis, etiam ſi nollit Sacerdos ex mali-

tia, & rationabili causa, dummodo ex hoc non oriatur scandalum: quia nulla reputanda est præsentia Sacerdotis abutentis, & recurrendum est ad voluntatem interpretatiuam superioris Episcopi, vel Pontificis, vel Christi, quæ censetur eo casu facultatem dedisse. Solus autem diaconus (& non subdiaconus, aut alius clericus inferior) potest hoc sacramentum ministrare in casu extremæ necessitatis.

De quolibet Sacerdote ministrante hoc sacramentum.

SECTIO XXXVIII.

ADministratio sacramentorum exigit iurisdictionem, vt licitè fiat; ergo administratio huius, præter potestatem ordinis, ipsam requirit: ergo non competit cuilibet Sacerdoti, seruatum est enim antiqua consuetudine, vt qui præest, hoc sacramentum populo administret.

Pascere gregem Christi, est munus pro-

prij Sacerdotis: vnde actus concionandi, cùm sit actus pascendi oues, ius etiam petit: ergo multo magis requiritur in dispensatione sacramenti, quod est cibus animæ. Vnde peccat mortaliter, qui hoc sacramentum administrat sine iurisdictione, nisi intercedat præsumptio voluntatis Pastoris, & bona fides, qua præsumitur superiorem hoc permissurum.

Et propterea administratio sacramenti pœnitentiæ differt ab ista in hoc, quod iurisdictio debet simpliciter præcedere, & requiritur ad substantiam actus pœnitentiæ.

Hìc vero requiritur tantùm ad debitum ordinem & modum.

Deinde qui sine ordine administraret hoc sacramentum, incurreret irregularitatem, sicut qui baptizaret solemniter.

Religiosi etiam administrantes hoc sacramentum sine facultate Pastorum, incurrũt excommunicationem, nisi habeãt priuilegia à Sede Apostolica.

Vnde duplex assignatur iurisdictio dispensandi hoc sacramentum: scilicet ordinaria, quæ conuenit Episcopis, Parochis, & alijs, quibus ex officio incum-

bit cura animarum.

2. Delegata, quæ committitur à Pastoribus ordinarijs aliquibus, vt possint exercere talem dispensationem.

Pastor autem seu Episcopus potest delegare talem facultatem duobus modis: primo, ex parte ministrantium, dando eis facultatem: secundo, ex parte recipientium, dando eis facultatem ad eligendum Sacerdotem, qui eis sacramentum administret.

Priori modo conceditur Mendicantibus, Religiosis societatis Iesu, & aliarum Religionum per sua priuilegia, vt nedum per se possint, sed etiam in domibus suis, seu Ecclesijs facere: alij etiam Sacerdotes simplices id possunt ex facultate superiorum talium domorum: hoc etiam conceditur Religiosis in alijs Ecclesijs, quando concionantur in eis.

Notandum est insuper, quod concessa alicui facultate administrandi sacramentum confessionis, non censetur etiam concessa administrandi Eucharistiam, ex vi & proprietate verborum.

Conceditur etiam in Bulla *Cruciatæ*, omnibus fidelibus eligendi Confessorem ap-

probatum ab ordinario, quandocumque voluerit; & tamen ibi non intelligitur poſſe eligere Sacerdotem, à quo recipiant ſacramentum Euchariſtiæ.

Suares tenet, circa priuilegia regularium, ipſos poſſe ex vi illorum in die Paſchatis Euchariſtiam miniſtrare, & fideles eam ibi recipere, dummodo impletum ſit vel implendum præceptum communicandi in die Paſchæ, prout inuoluit octo, vel quindecim dies. Nam omnis communio, qua impletur præceptum communicandi, dicitur Paſchalis, ſeu in Paſchate facta.

Hæc autem intelligenda ſunt de ordinarijs communionibus, quæ extra mortis periculum fiunt, in quibus non accipitur Euchariſtia per modum viatici: nam quando ſic datur, id eſt, per modum viatici, tunc adminiſtratio illius eſt reſeruata etiam proprio Parocho; & ita expreſſè excipitur à Paulo 3. in priuilegijs Societati Ieſu conceſſis, in Bulla anni 1549.

Quod ſi in aliquo alio priuilegio non excipitur expreſſe, ipſo iure, & communi ſenſu intelligitur excepta.

Vnde colligitur Eccleſiam voluiſſe re-

ſeruare omnem communionem, in qua impletur præceptum diuinum vel Eccleſiaſticum, proprijs paſtoribus; nec voluiſſe concedere priuilegium aliquod de ea, ſed solùm de alijs communionibus, quæ voluntariè fiunt.

Quandoquidem autem pręceptum confeſſionis magis eſt neceſſarium, & quandam habet difficultatem ex parte miniſtri, ideo Eccleſia noluit reſeruare adminiſtrationem ſacramẽti confeſſionis proprijs Paſtoribus: quia præceptum diuinum & Eccleſiaſticum in articulo mortis & animæ confeſſionis, ſatis impletur per confeſſionem factam Religioſis, per hæc priuilegia, vel per Bullam *Cruciatæ*: nam in hoc nulla fit exceptio.

Suares etiam tenet, fideles non poſſe ſumere Euchariſtiam à Religioſis, vel alijs Sacerdotibus, Parocho deficiente, & neceſſitate vrgente: quia non eſt ſacramentum neceſſitatis, dempto tamen articulo mortis, quia hæc neceſſitas fundatur in priuilegijs Religioſorum.

Nam hoc eſt conſentaneum iuri naturali, quo tenemur, & tenetur Eccleſia ſubuenire proximis, præſertim in neceſſi-

tatibus; & quamuis neceſſitas Euchariſtiæ non ſit extrema, eſt tamen valde grauis.

Præterea, Parochus tenetur dare hoc ſacramentum ſuis ouibus, quoties petunt commodè, & rationabiliter per ſe. Per ſe dico, quia ex accidenti poteſt excuſari, propter rationabilem occurrentem cauſam: vel quia habet alios coadiutores, vt pote Religioſos, ad quos ſine difficultate poteſt remittere.

Caueant tamen, ne nimium ſe reddentes difficiles in hoc miniſterio, animos ſuorum ſubditorum remittant: ſed ad piam potius frequentiam alliciant.

Et quamuis conſuetudo communicandi per alium, non debeat de facili deſtrui: ſi tamen eſſet vnus Sacerdos, qui non poſſet ſacrificare, poſſet cauſa deuotionis ſe communicare ex præconſecratis, ſine peccato, vt credit Suares.

Vnde addit ipſe, hoc etiam licitum eſſe laïco, adferendo pro exemplo Reginam Scotiæ, quæ ſubitura martyrium, prius ſacramentum proprijs manibus ſumpſit, cum ſumma omnium laude; & quamuis fortaſſe habuerit amplam conceſſionem

circa hoc, tamen ſine etiam illa, piè, & ſanctè feciſſet.

Durandus etiam affirmat, Sacerdotem ægrotum ſe debere proprijs manibus cõmunicare, ſi adſit tantùm diaconus, vt in die Paraſceues, in quo Sacerdos non ſacrificat, & tamen ſe communicat.

De modis, quibus peccet Sacerdos miniſtrando hoc ſacramentum indignè.

Sectio XXXIX.

Sacerdos primò debet miniſtrare ſub ſpeciebus rite conſecratis, & ſub vna ſpecie, ſcilicet panis; & etiam ſe accommodare conſuetudinibus, & Eccleſiaſticis legibus, cum veſtibus ſacris, quia neceſſariæ ſunt iuxta morem Eccleſiæ cum debito cultu, apparatu, & ceremonijs vſitatis in loco ſacro, vel approbato ab Epiſcopo.

Sufficit vt habeat ſaltem ſuperpelliceo

ſtolam, vt notat Iacobus de Graffijs lib. ſecundo, cap. 40. & licet accendatur lumen, præmittatur confeſſio generalis, & aliquæ orationes: his tamen omiſſis, non peccat mortaliter, ſecluſo ſcandalo.

Cauendum eſt tamen ne id fiat, quia grauis culpa, venialis eſt, ſi voluntariè, & animi remiſſione id fiat ſine cauſa rationabili.

Debet eſſe Sacerdos ſine peccato mortali, aliàs nouum peccatũ mortale committit, & colligitur ex Nicolao Papa in c. vltimo 25. q. 8. vbi dicit adulterum Sacerdotem miniſtrando hoc ſacramentum, ſe tantummodo lædere; & vnde alijs exhibet communionem, inde ſibi præbere diſpendium; & quanto grauius peccauerit miniſter, tanto magis peccabit.

Deinde augebit, ſi accedat hæreticus, vel cenſura Eccleſiaſtica detentus, & ex hoc titulo poterit incurri irregularitas: nam hæc adminiſtratio huius ſacramenti eſt reuera actus ordinis ſacerdotalis, & ideo qui illum exercet excommunicatus, irregularis fit.

Secus eſt, ſi tantùm tangat ſacramen-

tum, eleuando à terra, vel deosculando, causa adorationis, in peccato mortali, cùm non sit ministerium sacrum, non peccat mortaliter.

Suares non audet etiam dicere, esse peccatum mortale in Sacerdote, quando tangit sacramentum in peccato mortali, mutando illud in aliud vas, vel transferendo in procesſione, vel ad alium locum: quia hoc non requirit per se ministrum consecratum, & ex officio ad hoc deputatum.

Vnde laïcus deferendo etiam illud infirmo, propter extremam necesſitatem, non peccat mortaliter: quia talis dispensatio sacramenti non fit solemniter, neque à ministro per se consecrato ad illud munus: sed priuatim, ob necesſitatem, vt de laïco baptizante in necesſitate: non est tamen necessaria confesſio, sed sufficit contritio, cùm non sit communicaturus: quod debeat etiam esse ieiunus, nullum est præceptum diuinum, nec Ecclesiasticum.

In duobus verò casibus peccant, recipientem sacramentum ab indigne ministrante: in primo, quando cooperatur

ad peccatum ministrantis, inducendo scilicet illum ad ministerium non paratum, & nolendo sumere sacramentum à digno ministro: secundò, si minister sit ab Ecclesia prohibitus, vel præcisus.

Et licet Nauarrus dicat esse prohibitionem recipiendi sacramentum à Sacerdote concubinario publico, & audiendi etiam Missam: verius tamen censet contrarium Suares cum Soto in quarta distinctione 21. quæst. 1. art. 4. quia illa prohibitio cessauit per contrariam consuetudinem ; & quia reuocata videtur per Concilium Constant. nam regula ibi posita est generalis ad omnes censuras, & suspensiones ; at illa sola iam est seruanda.

Item Suares censet sacramentum pœnitentiæ posse sumi à quocunque Sacerdote præciso, & hæretico, in casu necessitatis extremæ, & etiam sacramentum Eucharistiæ: quia huiusmodi censuræ sunt in odium iniquorum Sacerdotum, ita tamen, vt non cedant in grauissimum detrimentum fidelium: vnde nullus fit fauor ipsis ministris, sed solùm fidelibus existentibus in extrema necessitate.

Licet ergo ab eis ſumere, ſecluſo tamen ſcandalo publico, aut infamia Religionis, aut periculi alterius, ad quod poſſit talis miniſter hominem inducere: quæ rationes occurrere poſſunt, quando miniſter eſt hæreticus, & quantum colligi poteſt ex hiſtorijs, vt ex Principe Hermigildo, nolente communicare de manu hæretici Sacerdotis, in articulo mortis.

Laus Deo, Virginiq; Matri.

Index

INDEX
RERVM PRÆCIPVARVM
HVIVS SECVNDI
Tractatus.

A

D

E

Q

R

S

F I N I S.

Errata correcta primi Tractatus.

Pagina 10. *linea* 2. *corparalis*, *lege corporalis*. *pag*. 11. *linea* 20. *recipiatur*, *lege recipiantur*. *pag* 19. *li*. 4. *qua*, *l*. *quia*. *pag*. 20. *li*. 25. *proximiam*, *l*. *proximam*. *pag*. 24. *li* 9. *multæ*, *l*. *multa*. *pag*. 34. *li*. 15. *marci*, *l*. *marsit*. *pag*. 42. *li*. 3. *remanerem*, *l*. *remanere*. *pag*. 44. *li*. 27. *loquitur*, *l*. *coquitur*. *pag*. 45. *li*. 14. *veriratem*, *l*. *veritatem*. *pag*. 49. *li*. 12. *addiderit*, *l*. *addidit*. *pag*. 56. *li*. 8. *concilium*, *l*. *consilium*. *pag*. 61. *li*. 13. *censetur*, *l*. *censentur*. *pag*. 67. *li*. 14. *appropinquet*, *l*. *appropinquent*. *pag*. 68. *li*. 14. *sanguinum*, *l*. *sanguinem*. *pag*. 74. *li*. 13. *quia*, *l*. *quod*. *pag*. 79. *li*. 15. *habeamur*, *l*. *habeantur*. *pag*. 80. *li*. 19. *tenetur*, *l*. *tenentur*. *pag*. 88. *li*. 5. *illud*, *l*. *illam*. *pag*. 88. *li*. 6. *erat*, *l* *esset*. *pag*. 88. *li*. 17. *deuids*, *l*. *deinde*. *pag* 98. *li*. 5. *quia*, *l*. *quis*. *pag*. 110. *li*. 4. *vasent*, *l*. *vase*. *pag*. 103. *li*. *intido*, *l*. *nitido*. *pag*. 106. *li*. 27. *venissent*, *l*. *venisse*. *pag*. 109. *li*. 5. *tunt*, *l*. *tunc*. *pag*. 112. *li*. 19. *viui*, *l*. *vim*. *pag*. 112. *li*. 22. *viui*, *l*. *vim*.

Pagina 114. *linea* 27. *priuaretur*, *lege priuarentur*. *pag*. 115. *li*. 25. *quod*, *l*. *quo*. *pag*. 118. *li*. 17. *impropetie*, *l*. *improprie*, *pag*. 118. *li*. 19. *pater*, *l*. *patet*. *pag*. 119. *li*. 10. *tremanet*, *l*. *remanet*. *pag*. 120. *li*. 16. *sine*. *l*. *siue*. *pag* 120. 20. *continens*, *l*. *continuum*. *pag*. 122. *li*. 19. *corri*, *l*. *corporis*. *pag*. 123. *li*. 11. *affectus*, *l*. *effectus*. *pag*. 126. *li*. 23. *capulletur*, *l*. *copuletur*. *pag*. 127. *li*. 25. *illis*, *l*. *illas*. *pag*. 138. *li*. 3. *caliditate*, *l*. *caliditatem*. *pag*. 146. *li*. 2. *est*. *l*. *&* ibid. deest *non*. *pag*. 150. *li*. 17. *incipiat*, *l*. *incipit*. *pag*. 150. *li*. 20. *esse*, *l*. *esset*. *pag*. 153. *li*. 26. *exauine*, *l*. *exanime*. 154. *li*. 3. *absoluttum*, *l*. *absolutum*. *pag*. 164. *li*. 26. *etia*. *l*. *etiam* *pag*. 171 *li*. 22. *Augustinuo*, *l*. *Augustino*. *pag*. 192. *lig*. *conuersio*, *l*. *conuersio*. *pag*. 103. *li*. 2. *conactum*, *l*. *contactum*.